DE ANAPHORA

IN EXEMPLUM ADHIBITA SUNT CARMINA
VERGILII ET OVIDII

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS OTTO

DETTELBACENSIS

MARPURGI CATTORUM
MCMVII

TYPIS FRANCISCI STAUDENRAUS WIRCEBURGENSIS.

DISSERTATIO REFERENTE THEODORO BIRT AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE DIE XXIX MENSIS APRILIS ANNI MCMVII ADPROBATA.

Quicunque oratorum vel poetarum volumina evolverit, vix paucos versus animo percurret, quin magna troporum et figurarum copia quasi obruatur. In figuris autem haud facile ulla saepius occurret quam ea, quae vocari anaphora solet. Quae figura, etiamsi aliae, quae in oratione antea minus enitebant, a grammaticis ex latebris suis reconditis in lucem prolatae sunt, tamen in recessu et solitudine remansit et tamquam per se ipsa comprehenderetur a doctorum studiis repudiata atque neglecta. Brinckmannus quidem et Blumnerus operam et laborem impertiverunt metaphorae, Godofredus Jacobus Hermannus hyperbolen sibi elegit e grege figurarum. Quid multa? Exstant de aliis figuris optimi libri, desunt de anaphora. A primis enim temporibus usque ad hos annos grammatici in suis scriptis anaphorae locum non dederunt nisi in perstringendis omnibus vel compluribus tropis et figuris, et si qui interdum in consideranda hac figura diutius sunt commorati, tamen non ad intellegendam eius naturam vires intenderunt, sed contenti, quod lineas quasdam cognoverant suisque mentibus adfixerant eius speciem, quo in limine priores constiterunt. Perraro alius atque alius viam et rationem inire conati sunt, qua propius ad eam accedere possent, sed in medio itinere defetiscebantur. Quorum in vestigiis antequam insistamus et viam incessam ad finem producamus, necesse erit docere, quatenus illi priores progressi sint.

Haec igitur erit partitio totius operis:

I. Virorum doctorum ab antiquissimis temporibus usque ad hos annos leges atque praecepta de anaphora proposita colliguntur eademque considerantur. Exponitur

A. Quid Graeci de anaphora censuerint,

B. Quid Romani de anaphora censuerint,

C. Quid scriptores recentiores censuerint.

II. Quae ex praeceptis de anaphora propositis maxime memoria sunt digna, acuratius inquiruntur et quae antea parum diligenter disputata sunt, copiosius explicantur.

a) Demetrii et Birtii sententiae conferuntur,

b) de repetitionibus et repetitionum figuris agitur,

c) quae vim copulativam anaphorae ostendant argumenta afferuntur.

III. Vera anaphorae natura demonstratur et illustratur exemplis e Vergilii et Ovidii carminibus depromptis. Inquiritur:

a) Quaenam verba inprimis anaphoram efficiant,

b) Utrum vocabula anaphorae lege repetita saepius gravi an levi ictu legantur,

c) Utrum verum sit illud Birtii iudicium an falsum,

d) Quoties anaphora coniunctionibus abundans deprehendatur.

I.

Virorum doctorum ab antiquissimis temporibus usque ad hos annos leges atque praecepta de anaphora proposita colliguntur eademque considerantur.

A. Quid Graeci de anaphora censuerint.

Graeci, ut omnium fere artium atque doctrinarum inventores fuerunt, ita etiam artis oratoriae exstiterunt auctores. Utque in aliis disciplinis undique mira eorum cognoscitur elegantia et subtilitas, ita etiam in arte dicendi nusquam non animadvertitur urbanitas et venustas. Quare fieri omnino non poterat, ut praecipua orationis ornamenta eos effugerent, ut tropos et figuras non viderent. Et ‚gloriantur‘ ipsi ‚talium se figurarum sive troporum fuisse repertores‘.[1]) Quodsi illa lumina orationis intellexerant, anaphoram non defuisse verisimillimum est. Quis vero fuerit, qui primam de anaphora doctrinam dederit, conicere magis quam statuere nobis liceat. Non autem erremus, si Gorgiam Leontinum fuisse contendimus. Quod nonnullis minime levibus auctoribus nobis persuadetur. Velut A q u i l a Romanus:[2]) ‚Sunt igitur‘, inquit, ‚figurae elocutionis aliae ad ornandum tantum et quasi ad pingendum orationem accommodatae, quibus princeps G o r g i a s L e o n t i n u s usus est.‘ Itaque anaphora cum has habeat virtutes in illis figuris fuisse maxime videtur. N o r d e n[3]) multo evidentius habet argumentum. Gorgiam enim dicit antiquos *εὑρέτην σχημάτων* esse putavisse, praecipue e figuris *ἀντίθετα* et *ἰσόκωλα, πάρισα* et *ὁμοιοτέλευτα* aliasque eiusdem generis adhibuisse, id quod gravissimis testimoniis confirmat. Inter illas autem figuras, quarum inventio vel potius ratio — nam

---

[1]) Beda Venerabilis, de schem. et tropis, Halm, 607 v. 8.

[2]) H. p. 29. v. 23.

[3]) Antike Kunstprosa I p. 15.

quis nescit has figuras iam saepissime ab Homero esse usurpatas — Gorgiae tribuitur, vix anaphora desiderata est. Quam coniuncta enim est cum figura, quod vocatur *ἀντίθετον?* quam cognata cum ea, quod vocatur *πάρισον?* Vide illud Empedoclis: *Δοιὴ δὲ θνητῶν γένεσις, δοιὴ δ' ἀπόλειψις.*[1]) Gorgias ergo sit, qui primam anaphorae doctrinam proposuerit. Nihilominus Ioannes Straubius[2]) primam de tropis et figuris doctrinam a Theophrasto traditam esse censet. Utut est, nec primum troporum et figurarum scriptorem satis novimus nec quis de anaphora primus egerit. Quam ob rem hunc locum difficilem in dubio relinquamus, quo celerius perveniamus ad notiora.

Sed antequam ad singulos Graecos, qui de anaphora egerunt, adgrediamur, praemonendum esse videtur plerumque figuram, de qua disputamus, *ἐπαναφορὰν* esse nominatam, interdum *ἀναφοράν.* Postea videbimus etiam alias significationes idem valere ac superiores.

Iam Graecos, qui de anaphora egerunt, ex ordine afferamus.

a) Demetrius

de quo Christ, Geschichte der gr. Literatur, München 1905 p. 614 „wenn auch nicht der Phalereer; jedenfalls ist die Schrift *περὶ ἑρμηνείας* vor Hermogenes geschrieben." Radermacher porro (Demetrii Phalerei qui dicitur de elecutione libellus, Lips. MCMI): ‚Mihi primo p. C. saeculo fuisse videtur' (Praefat. p. XIII sq.)

b) Alexander Numenius

(Christ l. l. p. 781 „unter Hadrian")

c) Hermogenes

(temporibus M. Aurelii, ibid.)

d) Tiberius

(post Apsinem, qui temp. Maximiani fuit, ibid.

e) Phoebammo

(Synesii aequalis, ca. a. CCCLXX, ibid.)

---

[1]) Alia exempla sunt apud Norden l. l. p. 17, ex quo libro locus superior est depromptus.

[2]) De tropis et figuris quae inveniuntur iu orationibus Demosthenis et Ciceronis, Wirceburgi MDCCCLXXXIII pag. 1.

f) Herodianus
(non clarissimus ille grammaticus, ib.)

g) Zonaeus

h) Anonymus

i) Ioannnes Siculus
(ca. XI. saec. Christ. p. 784, Krumbacher, Byz. Literaturgesch. München 1897 p. 386.)

k) Gregorius Corinthius
(ca. a. MCL.)

Qui quae de anaphora tradiderunt, facillime intellegantur maximeque sint perspicua, si haec erit partitio:

α) Quid Graeci anaphora in dicendo effici censuerint,

β) Quomodo Graeci anaphoras distinxerint,

γ) Quas Graeci habuerint definitiones.

α) Quid Graeci anaphora in dicendo effici censuerint.

a) Demetrius:[1]) *χαριεντίζεται δέ ποτε καὶ ἐξ ἀναφορᾶς ὡς ἐπὶ τοῦ Ἑσπέρου· Ἕσπερε, πάντα φέρεις, φησί, φέρεις ὄϊν, φέρεις αἶγα, φέρεις ματέρι παῖδα. Καὶ γὰρ ἐνταῦθα ἡ χάρις ἐστὶν ἐκ τῆς λέξεως τῆς φέρεις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀναφερομένης. πολλὰς δ' ἄν τις καὶ ἄλλας ἐκφέροι χάριτας.*

Idem:[2]) *Τὰ τῆς λέξεως σχήματα ποικιλότερον ἐκλέγοντά ἐστι δεινότερον ποιεῖν τὸν λόγον. ἐκ δὲ τῆς ἀναδιπλώσεως, ὡς· Θῆβαι δέ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων, ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται. διλογηθὲν γὰρ τὸ ὄνομα δεινότητα ποιεῖ. Καὶ ἐκ τῆς ἀναφορᾶς καλουμένης ὡς τό· ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς, ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς.*

---

[1]) Walz IX 64 v. 21, Spengel III 294 v. 7, Radermacher pag. 33 cap. 141.

[2]) W. IX 110 v. 12 sq. Sp. III 319 v. 11 sq. R. p. 55 cap. CCLXVII.

Τὸ δὲ σχῆμα τὸ εἰρημένον τοῦτο τριπλοῦν. Καὶ γὰρ ἐπαναφορὰ ἴσως εἴρηται διὰ τὸ τὴν αὐτὴν λέξιν ἐπαναφέρεσθαι ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἀρχήν. Καὶ ἀσύνδετον· δίχα γὰρ συνδέσμων λέλεκται· καὶ ὁμοιοτέλευτον διὰ τὴν ἀπόληξιν τοῦ καλεῖς[1] *πολλάκις. Καὶ δεινότης ἤθροισται ἐκ τῶν τριῶν. εἰ δ' εἴποι τις οὕτως, ἐπὶ σαυτὸν καὶ τοὺς νόμους καὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς, ἅμα τοῖς σχήμασιν ἐξαιρήσει καὶ τὴν δεινότητα.*

Idem:[2] *Τὸν δὲ Νιρέα, αὐτόν τε ὄντα μικρὸν καὶ τὰ πράγματα αὐτοῦ μικρότερα, τρεῖς ναῦς καὶ ὀλίγους ἄνδρας, μέγαν καὶ μεγάλα ἐποίησε καὶ πολλὰ ἀντ' ὀλίγων, τῷ σχήματι διπλῷ καὶ μικτῷ χρησάμενος, ἐξ ἐπαναφορᾶς τε καὶ διαλύσεως. Νιρεύς, γάρ, φησι,*[3] *τρεῖς νῆας ἄγεν, Νιρεὺς Ἀγλαΐης θ' υἱός,*[4] *Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνήρ· ἥ τε γὰρ ἐπαναφορὰ τῆς λέξεως ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὄνομα, τὸν Νιρέα, καὶ ἡ διάλυσις πλῆθός τι ἐμφαίνει πραγμάτων, καίτοι δύο ἢ τριῶν ὄντων.*

b) Alexander Numenius: tacet.

c) Hermogenes:[5] *Αἵ τε οὖν παρισώσεις καλλωπίζουσιν, ὥσπερ ἐλέγομεν, καὶ αἱ κατὰ κῶλον ἐπαναφοραί, οἷον· μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προύδωκεν Ὄλυνθον. μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας. ἐπαναφέρει γὰρ ἐπὶ τὸ αὐτὸ μέρος τοῦ λόγου. διαφέρει δὲ παρισώσεως τῆς κατ' ἀρχὰς τοῦτο τὸ σχῆμα, ᾗ ἐκεῖ μὲν συλλαβή ἐστιν ἡ αὐτὴ ἐπ' ἀμφοῖν τοῖν κώλοιν· εἰ δὲ καὶ πλείους, ἀλλ' οὐ λόγου γίνεται μέρος ὁλόκληρον. ἐνταυθοῖ δὲ ὅλη τις λέξις. Καί, ὃ μὲν ἂν ᾖ ἐπαναφορά, καὶ παρισωσίς ἐστιν ἡ κατ' ἀρχάς, ὃ δ' ἂν παρίσωσις ᾖ κατ' ἀρχάς, οὐκέτι ἐπαναφορά. Οὐδὲν δὲ θαυμαστόν, εἴ τι καὶ λαμπρὸν ἢ ἀκμαῖον ἔχει τὸ προειρημένον παράδειγμα. συγγένεια γὰρ κάλλει πρὸς λαμπρότητα ἐν ἅπαντι σχεδὸν πράγματι, διὰ δὲ τοῦτο καὶ πρὸς ἀκμήν. τὰ γὰρ ἀκμαῖά τε καὶ ὡραῖα, καὶ σώματα καὶ ὅ, τι βούλει, πάντως λαμπρὰ καὶ καλά, οὐ μὴν τὸ ἀνάπαλιν. καλὸν γάρ τι δύναται*

---

[1] R. p. 55 v. 13 cap. CCLXVIII pro *καλεῖς* ponit *καλεῖσθαι.*

[2] W. IX 33 cap. LXI, R. p. 18 cap. LXI. Sp. III 276, v. 20.

[3] scil. Homerus B 671.

[4] R. *Ἀγλαΐης υἱός* omisso *θ'*.

[5] W. III 284 v. 10 sq. Sp. II p. 335 v. 7.

καὶ μὴ ἀκμαῖον εἶναι μηδὲ λαμπρόν. Αἱ μέντοι ἐπαναφοραὶ εἰ κατὰ κόμμα γίνοιντο, γοργὸν ποιοῦσι τὸν λόγον, ἀλλ' οὐ καλόν, οἷον· προσιὼν μὲν τῇ βουλῇ, προσιὼν δὲ τῷ δήμῳ. Ἐνταῦθα δὲ καὶ ἡ ταχεῖα τοῦ μερισμοῦ ἀπόδοσις τὸ γοργὸν ἐποίησεν.

d) Tiberius:[1]) *Ἐνέργειαν τὸ σχῆμα καὶ λαμπρότητα ἐργάζεται.*

e) Phoebammo,
f) Herodianus,
g) Zonaeus,
h) Anonymus: } de hac re nihil docent.

i) Ioannes Siculus:[2]) *Ὥσπερ τὸ ἀσύνδετον εἰ μὲν διὰ μακρῶν κώλων ἐκφέροιτο, λαμπρότητα ποιεῖ, εἰ δὲ διὰ μικρῶν καὶ κομματικῶν γοργότητα, οὕτω δὴ καὶ ἡ ἐπαναφορὰ διὰ μακρῶν μὲν ἐκφερομένη κάλλος ποιεῖ, διὰ δὲ κομματικῶν γοργότητα.*

k) Gregorius Corinthius:[3]) Interpretans locum: *Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας* . . .[4]) sic agit: *ἡ γοῦν ἐπαναφορὰ πλῆθος ἔχουσα λέξεων πλῆθος πραγμάτων ἐπέφηνεν. οὐ μὴν ἀλλὰ τὸ πρόσωπον Νιρέως κεκόσμηκεν. σχεδὸν γὰρ ἅπαξ τοῦ Νιρέως ὀνομασθέντος ἐν τῷ τῆς ποιήσεως γράμματι οὐδὲν ἧττον ἢ Ἀχιλλέως ἢ Ὀδυσσέως μεμνήμεθα· καίτοι κατὰ ἔπος ἑκάστων καλουμένων σχεδόν. αἰτία ἡ τοῦ σχήματος δύναμις. Εἰ δ' οὕτως εἶπε· Νιρεὺς ὁ Ἀγλαΐας υἱὸς ἐξ Αἰσύμης τρεῖς νῆας ἦγε, παρασεσιωπηκέναι ἂν Νιρέα τὸν κάλλιστον ἔδοξεν. ὥσπερ γὰρ ἐν ταῖς ἑστιάσεσι τὰ ὀλίγα πολλὰ διαληφθέντα πως φαίνεται, οὕτω κἀν τοῖς λόγοις ἐστίν.*

β) Quomodo Graeci anaphoras distinxerint.

a) Demetrius, ut supra vidimus triplex nomen anaphorae habet, *ἐπαναφοράν, ἀσύνδετον, ὁμοιοτέλευτον.*

---

[1]) W. VIII 558 v. 21. Sp. III 73 v. 1.
[2]) W. VI p. 369 v. 10 sq.
[3]) W. VII p. 1189 v. 21.
[4]) Il. B 671.

b) Alexander:[1]) Ἐπαναφορά ἐστιν, ὅταν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κόμματος[2]) δύο ἢ πλείω κῶλα ἄρχηται, ὡς παρὰ τῷ Δημοσθένει· ‚ταῦτ' εἶπον ὑπὲρ ὑμῶν, ταῦτ' ἐπρέσβευσα, ταῦτ' ἐδεήθην.' ἢ ὅταν ἐπὶ πολὺ τὸ ὄνομα ἐν ἀρχῇ τῶν κώλων καὶ τῶν περιόδων πολλάκις παραλαμβάνηται καὶ[3]) ἢ αὐτὸ ἢ τὸ ἰσοδυναμοῦν αὐτῷ, καὶ αὐτὸ μὲν ὡς τὸ Δημοσθενικόν· τί οὖν, ὦ ταλαίπωρε συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις; καὶ ὡς τὸ Ὁμηρικόν· Νιρεὺς αὖ Σύμηθεν ἄγεν . . ., τὸ δ' ἰσοδυναμοῦν οὕτως· Ὁ πάντ' ἄναλκις οὗτος, ἡ πᾶσα βλάβη. Ἐνταῦθα γὰρ τό τε ἀρσενικὸν ἄρθρον καὶ τὸ θηλυκὸν ἴσον ὡς πρὸς τὸ πρᾶγμα δύναται. Τὸ δ' ἰσοδυναμοῦν οὕτως, ὡς εἴ τις λέγοι· ἐπέδωκα τῇ πόλει χρήματα, παρέσχον συμμάχους, ἐχαρισάμην ὅπλα, καὶ ὡς· ὅταν τοὺς κοινωνοὺς αὐτοῦ τῶν δωροδοκημάτων παρακαλῇ, ὑπολαμβάνετε καθορᾶν ἐπὶ τοῦ βήματος ἀντιπαρατεταγμένους, Σόλωνα μὲν τὸν καλλίστοις νόμοις κοσμήσαντα τὴν πόλιν, Ἀριστείδην δὲ τὸν τοὺς φόρους τάξαντα τοῖς Ἕλλησιν ἐπερωτῶντα· ἢ οὐκ αἰσχύνεσθε, εἰ οἱ πατέρες ὑμῶν Ἄρθμιον τὸν Ζελείτην, καὶ τὰ ἑξῆς.

Eandem fere distributionem praebet Codex Parisinus secundus quamvis et allatis exemplis et contextu verborum et ratione dicendi non raro discrepet. Est autem:[4]) Ἐπαναφορά ἐστι πλειόνων κώλων ἢ κομμάτων ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχή, οἷον· ἐγὼ διῴκησα τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἐγὼ εὐθέτησα τὴν περιουσίαν αὐτοῦ, ἐγὼ προϊστάμην τῶν ἐκείνου πραγμάτων. καὶ Δημοσθενικόν· ταῦτ' εἶπον ὑπὲρ ὑμῶν, ταῦτ' ἐπρέσβευσα, ταῦτ' ἐδεήθην, καὶ πάλιν· τί οὖν, ὦ ταλαίπωρε . . . . ἐλλεβορίζεις; καὶ ὁ θεολόγος· Χριστὸς γεννᾶται, δοξάσετε, Κριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἀπαντήσατε, Χριστὸς ἐπὶ γῆς, ὑψώθητε. καὶ αὖθις· τί λύεται (sic!) τάξιν ἐπαινουμένην, τί βιάσεσθε γλῶσσαν νόμῳ δουλεύουσαν, τί τὴν κεφαλὴν ἀφέντες, καὶ τὰ ἑξῆς. γίνεται δὲ καὶ διπλῆ ἐπαναφορά, ὡς τὸ Δημοσθενικόν· μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὀνομάζετο (sic!) Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον. μέχρι τούτου Εὔδημος καὶ Σεῖμος ὁ Λαρισσαῖος, ἕως τὴν Ἐλαττίαν

---

[1]) W. VIII 446 v. 11 Sp. III 20, 29.

[2]) Spengel pro κόμματος ponit ὀνόματος,

[3]) Sp. uncis inclusit vocem καί.

[4]) W. l. l. in notis.

ὑπὸ Φιλίππῳ ἐποίησε. τῶν μὲν γὰρ πρώτων κώλων τὸ μέχρι μόριον ἄρχει, τῶν δευτέρων, τὸ ἕως· καὶ ὁ Θεόλογος· παρὰ τοσούτοις οἱ ἡμέτεροι παιδευταί, παρ' ὅσοις αἱ Ἀθῆναι. παρὰ τοσούτοις δὲ ἡμεῖς, παρ' ὅσοις οἱ παιδευταί· καὶ πάλιν· σὺ τὸν βασιλέα κἀγὼ τὸν Ἰωσίαν. γίνεται δὲ πάλιν καὶ ἐπαναφορά, ὅταν τῇ ἀρχούσῃ λέξει ἕτεραι ἰσοδυναμοῦσαι ληφθεῖεν ἐπὶ τῶν ἄλλων κώλων, ὡς τό, ἐπέδωκα τῇ πόλει . . . . Καὶ ὁ Θεολόγος· ἡ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἀρχή, τὸ ἐκ τοῦ φωτὸς φῶς, ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς καὶ τῆς ἀθανασίας. καὶ πάλιν· ἀόρατος ὁρᾶται, ὁ ἀναφὴς ψηλαφᾶται, ὁ ἄχρονος ἄρχεται. ἰσοδυναμοῦσι γὰρ αἱ ἄρχουσαι λέξεις τὸν αὐτὸν σημαίνουσαι.

Exstat etiam alia anaphorarum dispositio in eiusdem auctoris secundo libro, qui σχήματα διανοίας continet. Est autem:[1])

Γίνεται δὲ ἡ ἐπαναφορὰ ποτὲ μὲν ἐπὶ τῶν ἡγουμένων κώλων, ὡς ἔχει τὰ προειρημένα· ποτὲ δὲ ἐπὶ τῶν ἑξῆς ὡς ἔχει τὸ Δημοσθενικόν. ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δὲ ἐφοίτων. ἐτέλεις, ἐγὼ δ' ἐτελούμην.' Πεποίηκε δὲ Δημοσθένης καὶ διπλῆν ἀναφοράν, ἐπί τε τῶν προηγουμένων κώλων τὸ αὐτὸ μόριον λαμβάνων καὶ ἐπὶ τῶν ἑπομένων ἐν τούτοις· μέχρι τούτου φίλος ὠνομάζετο Λασθένης Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον· μέχρι τούτου Εὔδικος καὶ Σίμος ὁ Λαρισσαῖος, ἕως τὴν Θετταλίαν ὑπὸ Φιλίππῳ ἐποίησαν.' τῶν μὲν γὰρ πρώτων κώλων τὸ μέχρι ἄρχει μόριον, τῶν δὲ δευτέρων τὸ ἕως.

Walzius adnotat: Abest hoc schema a Par. 2, sed consentiunt cum nostris, quae Par. 2. ad lib. I. ιδ. habet.

c) H e r m o g e n e s, ut iam cognovimus, anaphoram distinguit κατὰ κῶλον et anaphoram κατὰ κόμμα.

d) T i b e r i u s :[2]) Ἐπαναφορὰ δέ ἐστιν, ὅταν δύο καὶ πλειόνων κώλων κόμματα ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἄρχηται οἷον· ὅταν ἐπὶ κόῤῥης, ὅταν κονδύλοις. καὶ πάλιν· μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας· μέχρι τούτου Εὔδικος καὶ Σίμος οἱ Λαρισσαῖοι . . . — Κἀκεῖνο ἐπαναφορά· τί οὖν ὦ ταλαίπωρε συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις;

---

[1]) W. VIII 463 v. 7. sq. Sp. III 29, 12.

[2]) W. VIII 558 v. 17 sq. Sp. III 72, v. 27 sq.

ἐπὶ τούτοις; Καὶ πάλιν· Τίς οὖν ὁ ταῦτα συγκατασκευάσας αὐτῷ; τίς ὁ τὰς προφάσεις ταύτας δούς; Καὶ ὁ Πλάτων ἐν Νόμοις; ὅταν σοί τι προσπίπτῃ τῶν τοιούτων πρᾶγμα, εἰ μὴ ἐπὶ τὰς ἀποδιαπομπήσεις, ἐπὶ ἀποτροπαίων ἱερὰ θεῶν ἱκέτης ἴθι, ἐπὶ τὰς τῶν λεγομένων ὑμῖν ἀνδρῶν συνουσίας. Καὶ παρὰ τῷ Ποιητῇ· Ἐν δ' Ἔρις, ἐν δὲ Κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὀλοὸν Κήρ. Ἔστι δὲ ὅτε διὰ μακροτέρων ἐπαναφέρεται τὸ αὐτὸ μόριον, οἷον· ἡ γὰρ ἐμὴ πολιτεία, ἧς οὗτος κατηγορεῖ, ἀντὶ μὲν τοὺς Θηβαίους μετὰ Φιλίππου εἰς τὴν Ἀττικὴν συνεμβαλεῖν, ὃ πάντες ᾤοντο, μεθ' ἡμῶν παραταξαμένους κωλύειν ἐκεῖνον ἐποίησεν· ἀντὶ δὲ τοῦ ἐν τῇ Ἀττικῇ γενέσθαι τὸν πόλεμον, ἑπτακόσια στάδια ἐπὶ τοῖς τῶν Βοιωτῶν ὁρίοις γενέσθαι· ἀντὶ δὲ τοῦ τοὺς λῃστὰς ἄγειν ἡμᾶς ἐπὶ τῆς Εὐβοίας, ἐν εἰρήνῃ τὴν Ἀττικὴν ἐκ τῆς θαλάττης εἶναι πάντα τὸν πόλεμον· ἀντὶ δὲ τοῦ τὸν Ἑλλήσποντον φίλον ἔχειν, λαβόντα τὸ Βυζάντιον, τοὺς Βυζαντίους πολεμεῖν μεθ' ἡμῶν πρὸς ἐκείνους ἐποίησεν. Καὶ τοῦτο δὲ εἶδος ἐπαναφορᾶς· „καὶ μὴν ὅτι πολλὰ μὲν ἀνέδωκε χρήματα Φιλιστείδης, ὥστε ἔχειν Ὠρεόν, πολλὰ Κλείταρχος, ὥστε ἔχειν Ἐρετρίαν, πολλὰ δὲ Φίλιππος, ὥστε εἶναι ἐφ' ὑμᾶς αὐτῷ.' Καὶ τοῦτο πάλιν ἐπαναφορά· „ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δὲ ἐφοίτων· ἐτέλεις, ἐγὼ δὲ ἐτελούμην· ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δὲ ἐκκλησίαζον.'

e) Phoebammo distinctionem non habet.

f) Herodianus:[1] *Ἐπαναφορὰ δέ ἐστι πλάσις ἐκ τοῦ διπλασιάζεσθαι ἐπίτασιν δηλοῦσα, οἷον· „Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν, Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ. Καί· „ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε, Παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιιν.' Καί· „Θῆβαι δέ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων, μεθ' ἡμέραν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται.'*

g) Zonaeus:[2] *Ἐπαναφορὰ πλειόνων κώλων ἢ ῥημάτων ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένων συνεκδοχή, ὡς εἴ τις λέγοι· „σὺ τὸν Γάγγην ἐγεφύρωσας, σὺ τὸ στράτευμα διαβαίνειν πεποίηκας.' Διπλῆ ἐπαναφορά ἐστι πλειόνων κώλων ἢ ῥημάτων ἀπὸ τῶν αὐτῶν λέξεων ἀρχομένων συνεκδοχή, ὡς τό· „παρὰ*

[1]) W. VIII 598 v. 7. sq. Sp. III 96, 31.

[2]) W. VIII 680 v. 5 sq. Sp. III 164, 30.

τοσούτοις οἱ ἡμέτεροι παιδευταί, παρ' ὅσοις Ἀθῆναι, παρὰ τοσούτοις δὲ ἡμεῖς, παρ' ὅσοις οἱ παιδευταί.' Καὶ πάλιν· σὺ τὸν Ξέρξην, κἀγὼ τὸν Κῦρον, σὺ τὸν Δαρεῖον, κἀγὼ τὸν Κροῖσον'.

h) Anonymus:[1]) *Ἐπαναφορὰ δὲ πλειόνων κώλων ἢ ῥημάτων ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένων, οἷον· Χριστὸς γεννᾶται, δοξάσατε, Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἀπαντήσατε. Καὶ ἀλλαχοῦ· τί λύετε τάξιν ἐπαινουμένην, τί βιάζεσθε γλῶσσαν νόμῳ δουλεύουσαν. Γίνεται δὲ καὶ ἔτι ἐπαναφορά, οἷον τό· παρὰ τοσούτοις γὰρ οἱ ἡμέτεροι παιδευταί, παρ' ὅσοις Ἀθῆναι, παρὰ τοσούτοις ἡμεῖς, παρὰ ὅσοις οἱ παιδευταί. Γίνεται πάλιν ἐπαναφορά, καὶ ὅταν τῇ ἀρχούσῃ λέξει ἕτεραι ἰσοδυναμοῦσαι ληφθεῖεν ἐπὶ τῶν ἄλλων κώλων, οἷον· ἡ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἀρχή, τὸ ἐκ τοῦ φωτὸς φῶς. Καὶ ἔτι· ὁ ἀόρατος ὁρᾶται, ὁ ἀναφὴς ψηλαφᾶται.*

i) Ioannes Siculus:[2]) *Ἐπαναφορὰ δὲ ἡ ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένη πολλάκις περίοδος ἢ συλλαβῆς· συλλαβῆς μέν, τί λύετε τάξιν ἐπαινουμένην; τί βιάζετε γλῶσσαν νόμῳ δουλεύουσαν; λέξεως δέ· Χριστὸς γεννᾶται, δοξάσετε, Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἀπαντήσατε. Ταῦτα δὲ ἡμῖν εἴρηται, ὅπως τὴν ἀπὸ λέξεως ἀρχομένην προφοράν.*[3]) *τὴν αὐτὴν τοῦ λόγου ἢ συλλαβῆς ἐπαναφορὰν νομίσωμεν, οὐκ ἐπανάληψιν.*

k) Gregorius Corinthius anaphoras non disponit.

γ) Quas Graeci habuerint definitiones.

a) Demetrius: definitionem non habet.

b) Alexander:[4]) *Ἐπαναφορά ἐστιν, ὅταν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κόμματος (Sp. ὀνόματος) δύο ἢ πλείω κῶλα ἄρχηται.*

c) Hermogenes: anaphoram non definit.

d) Tiberius:[5]) *Ἐπαναφορὰ δέ ἐστιν, ὅταν δύο καὶ πλειόνων κώλων κόμματα ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἄρχηται.*

e) Phoebammo:[6]) *Ἐπαναφορὰ δέ ἐστιν, ἡ καὶ ἀναφορά, πλειόνων στίχων ἢ κώλων ἀπὸ τῶν αὐτῶν τοῦ λόγου*

---

[1]) W. VIII p. 705 v. 23.

[2]) W. VI 368 v. 23 sq.

[3]) Sequitur in Vind. Par. *ἐπαναφοράν.*

[4]) W. VIII 446, 12; Sp. III 20, 29.

[5]) W. VIII 558. 17; Sp. III 72, 27.

[6]) W. VIII 499 v. 7; Sp. 46, 21.

μερῶν ἀ ρ χ ή. ὡς ἵνα εἴπωμεν, ἐγὼ διώκησα τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἐγὼ ἔστησα τὴν περιουσίαν αὐτοῦ.

f) Herodianus:[1]) *Ἐπαναφορὰ δέ ἐστι π λ ά σ ι ς, (cod. Ven. λέξις) ἐκ τοῦ διπλασιάζεσθαι ἐπίτασιν δηλοῦσα.*

g) Zonaeus:[2]) *Ἐπαναφορὰ πλειόνων κώλων ἢ ῥημάτων ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένων συνεκδοχή.*

h) Anonymus:[3]) *Ἐπαναφορὰ δὲ κώλων πλειόνων ἢ ῥημάτων ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένων.*

i) Ioannes Siculus[4]) *Ἐπαναφορὰ ἡ ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένη πολλάκις π ε ρ ί ο δ ο ς ἢ συλλαβῆς.*

k) Gregorius:[5]) *Ἡ δὲ ἐν ἄλλῳ καὶ ἐν ἄλλῳ κώλῳ ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀ ρ χ ὴ καλεῖται ἐπαναφορά.*

Quid de Graecorum praeceptis iudicandum sit.

Iam inspeximus locos, qui a Graecis de anaphora sunt traditi. Quantopere indigent explicatione! Velut loci, in quibus **de anaphorae vi effectrice** agitur. Demetrius quidem, cui primam de hac figura notitiam debemus, veneres aliquando ex relatione duci censet et illustrat exemplo. Haud longo intervallo ab eo disiunctus est Hermogenes. Qui illud ‚aliquando‘ explicat. Si enim anaphora membratim sit posita, ornamentum esse orationi, sin autem incise, vitium. Quid sit illud ‚membratim‘ et ‚incise‘ postea exponetur, cum de distinctionibus quaestio erit. Sed qui et Demetrii exemplum bene adhibitae anaphorae et Hermogenis male usurpatae consideraverit, mirabitur, quod idem laudatur idemque vituperatur. Nam quomodo illa exempla: *Ἕσπερε πάντα φέρεις, φέρεις ὄϊν, φέρεις αἶγα, φέρεις ματέρι παῖδα* et: *προσιὼν μὲν τῇ βουλῇ, προσιὼν δὲ τῷ δήμῳ* inter se differant, non intellegitur, nisi quod sane illud

[1]) W. VIII, 598, 7; Sp. III 69, 31.
[2]) W. VIII, 680, 5; Sp. III 164, 30.
[3]) W. VIII, p. 705. 23.
[4]) W. VI 368, 23.
[5]) W. VII, 1187, 24.

μὲν — *δὲ* discrimen facit. Ceterum Hermogenes celat causam, cur anaphora *κατὰ κόμμα* offendat. Quod attinet ad illam *ταχεῖαν τοῦ μερισμοῦ ἀπόδοσιν*, Demetrius, ut ex allato exemplo cognoscitur, perpulchrum id esse iudicat. An in carminibus anaphorae maior est licentia quam in orationibus? Sed id nusquam instituimur. Concedo propter brevitatem membri, quod anaphorae adhaeret, ipsam repetitionem non iam gravem et conspicuam esse et illa virtute carentem aliquid venustatis amittere. Sed et ipsi Hermogeni illa non erat gravissima causa, cur anaphoram *κατὰ κόμμα* repudiaret. Dicit enim: *ἐνταῦθα δὲ καὶ ἡ ταχεῖα τοῦ μερισμοῦ ἀπόδοσις τὸ γοργὸν ἐποίησεν.* Quae igitur est causa? Ioannes Siculus affert: *ὥσπερ τὸ ἀσύνδετον*, inquit, *εἰ μὲν διὰ μακρῶν κώλων ἐκφέροιτο λαμπρότητα ποιεῖ, εἰ δὲ διὰ μικρῶν γοργότητα, οὕτω δὴ καὶ ἐπαναφορὰ διὰ μακρῶν μὲν ἐκφερομένη κάλλος ποιεῖ, διὰ δὲ κομματικῶν γοργότητα.* Qua in re commonendum esse arbitror Demetrium anaphorae triplex nomen dedisse: et *ἐπαναφορὰν* et *ἀσύνδετον* et *ὁμοιοτέλευτον*, et de ipsa anaphora non sic locutum esse, ut colligi possit eandem anaphoram eum dicere velle ac nos, sed de *καλουμένῃ ἀναφορᾷ* egisse. Id igitur, quod anaphora *ἀσύνδετον* est et asyndeton bene usurpatum aures delectat, male autem adhibitum offendit, Hermogenem commovit, ut anaphora diversa effici doceret. Hoc etiam eo comprobatur, quod omnes reliquos virtutes tantum anaphorae tribuere videmus. Sunt autem: *δεινότης* (Demetrius), *ἐνέργεια καὶ λαμπρότης* (Tiberius) vel amplificatio, gravitas, splendor.

Hae igitur anaphorae sunt virtutes. Quanto maior est **numerus distinctionum**! Alii sententiarum partes, quibus repetitio adhaeret, respicientes dispertiunt anaphoras (Hermogenes), sunt, qui anaphoram antecedentem et sequentem habeant aut eam quae non a pari verbo inchoet sed simili (Alexander), nec desunt, qui simplicem anaphoram discernant a duplici (Alexander, Zonaeus); quid quod nonnulli exemplis tantum allatis efficiunt, ut distinctio quaedam cognosci possit (Tiberius, Herodianus, Anonymus); sunt denique, qui syllabas et verba

numerare videantur, e quibus anaphora constat (Ioannes Siculus).

Ac primum quidem Alexandrum videamus. Qui et eam anaphoram habet, quae ab eodem vel simili saepius incipit vocabulo, quam *σχήμασι διανοίας* tribuit, et anaphoram *ἐπὶ τῶν ἑξῆς*, quae quid sit, non plane est perspicuum. Hanc anaphoram in *σχήμασι λέξεως* habet. Duplicem denique distinguit anaphoram, quam in eodem figurarum genere numerat. Haec Alexandri doctrina, e qua omnes fere posteriores pendere videntur, quod integra non sit tradita, maxime est dolendum. Iam illa obscura definitio in primo libro: *ἀναφορά ἐστιν, ὅταν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κόμματος δύο ἢ πλείω κῶλα ἄρχηται*, valde offendit. Nam quomodo fiat, ut ab eodem inciso duo vel plura membra inchoentur, vix quisquam investiget. Deinde mirum est, quod quae de anaphora docet, non uno concludit libro, sed alteram partem in eo, qui est de *σχήμασι διανοίας*, alteram in eo, qui est de *σχήμασι λέξεως*, tractat. Non intellego, si quidem anaphora sensus enuntiati non mutatur, ut postea demonstrabimus, quomodo celeberrimus hic rhetor tam subtiliter anaphoram ab anaphora secernat. An in figuris distinguendis scriptores respexit, qui singulas figuras adhibent? Velut Iulianus Toletanus[1]) sic: ‚Huius ornationis, inquit, generale nomen practicon Graeci vocaverunt; speciale vocabulum narrationis *σχήματα λέξεως* et *διανοίας* id est figurae verborum et sensus; sed schemata dianoeas ad oratores pertinent, ad grammaticos lexeos.' Tamquam aenigma Alexandri videtur distinctio. Quid quod huius aetatis homines doctissimi ridiculum esse putaverunt, quod de anaphora *ἐπὶ τῶν ἑξῆς* exponit. Velut Gerberus[2]) anaphoram *ἐπὶ τῶν ἑξῆς* anaphoram postpositam esse censet. Id ex allato exemplo[3]) rectissime colligitur. Sed talem anaphoram ridiculam esse non contendat, si quis eiusdem

[1]) Anecdota Helvetica collecta ed. Herm. Hagen, Lips. MDCCCLXX pag. CCXXXVI.

[2]) cf. Gerber, die Sprache als Kunst. II p. 186.

[3]) *ἐδίδασκες γράμματα . . ., ἐγὼ δὲ ἐπελούμην.*

auctoris anaphoram duplicem consideraverit. Huius anaphorae habet exemplum: *Μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον, μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας.* Quodsi illi priori exemplo addere velis vocem ‚*σύ*‘, ut exemplum sic legatur: *σὺ ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δὲ ἐφοίτων, σὺ ἐτέλεις, ἐγὼ δὲ ἐτελούμην,* eadem sit anaphora atque illa duplex. Sed haec anaphora duplex quae sit, nunc exponatur. Quae quo facilius intellegatur, ad Hermogenem transgrediamur.

Hermogenes in sua habet distinctione idem exemplum quod Alexander (*Μέχρι τούτου . . .*). Qui anaphoram distinguit *κατὰ κῶλον* et *κατὰ κόμμα*. *Κόμματα* sunt, quae Romani incisa appellant, *κῶλα*, quae membra.[1]) *Κατὰ κῶλον* est membratim, *κατὰ κόμμα* incise.[2]) Quid vero sit anaphora *κατὰ κῶλον* et *κατὰ κόμμα* non satis perspicuum est. Nam anaphora, quam nos vocamus, ipsa membrum sententiae esse potest velut illud Ovidii:

‚Iuppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem
Et superesse videt de tot modo milibus unum
Et superesse videt de tot modo milibus unam
Innocuos ambos, cultores numinis ambos.‘[3])

Puto autem Hermogenem non anaphoram modo commemoratam significatam velle, sed tantum docere optime repetitionem quaecunque est adhiberi, si membro incipiat, peius si inciso? Illas autem significationes, *κῶλον* dico et *κόμμα*, non certis finibus circumscribi posse pro certo habeo. Cicero quidem ad illustranda *κῶλα* et *κόμματα* affert illud Crassi:[4]) ‚Missos faciant patronos, ipsi prodeant — cur clandestinis consiliis nos oppugnant? cur de perfugis nostris copias comparant contra nos?‘ Prima, inquit, sunt illa duo, quae *κόμματα* Graeci vocant, nos incisa dicimus, deinde tertium illi *κῶλον*, nos membrum. Paulo infra aliud affert exemplum incisorum: ‚Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia

---

[1]) Cic. Or. § 211 et 223.
[2]) Ibid.
[3]) Met. I 324.
[4]) Or. 222.

superabat? at egebas.' Haec, inquit, incise dicta sunt quattuor; at membratim quae sequuntur duo: ,Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti.' Haec res ut etiam ab alio auctore illustretur, audiamus Aquilam.[1]) ,Membrum, inquit, est pars orationis ex pluribus verbis absolute aliquid significans, hoc modo: Etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Caesum autem est pars orationis, nondum ex duobus aut pluribus verbis quicquam absolute significans, hoc modo: Etsi vereor, ne turpe sit. Nonnumquam tamen caesam dicimus orationem, quotiens non efficiuntur membra ex conexione verborum, sed singula quodvis significantia proferuntur ad istum modum: Quis est iste Lollius, qui sine ferro ne nunc quidem tecum est? Quis est iste Lollius? armiger Catilinae, stipator tui corporis, concitator tabernorum, percussor, lapidator fori, depopulator curiae. Et alibi apud eundem oratorem: Comites illi delecti manus erant tuae, accensi, medici, aruspices, scribae manus erant tuae, ut quisquis te familiaritate attigerat, ita maxime manus tua putabatur.' Idem rhetor habet etiam exempla, in quibus membra et incisa cum anaphora coniuncta apparent. Anaphoram *κατὰ κῶλον* illud Ciceronis existimat: ,I l l e venire hostes nuntiavit, i l l e vos in metum belli compulit, i l l e in tumultu ut civitas esset effecit.' Anaphoram autem *κατὰ κόμμα* habet hanc: ,V e r r e s calumniatores apponebat, V e r r e s de causa cognoscebat, V e r r e s pronuntiabat.' Quodsi et Ciceronis et Aquilae exempla conferuntur, difficile sit ad diiudicandum, quid singula genera differant. Apud Hermogenem autem in brevitate et amplitudine dictionis puto discrimen esse quaerendum.

Iam Hermogenis anaphoram *κατὰ κῶλον* accuratius consideremus. Habet autem exemplum: *Μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον. Μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας.* Eandem anaphoram Alexander duplicem vocat, Aquila, ut videbimus,

[1]) Halm. 27. 32.

repetitionem per ambitum. Hanc significationum varietatem eo esse ortam puto, quod Alexander celans causam anaphorae doctrinam diversis libris distribuit. Hoc autem exemplum duas habet partes. Est enim ita formatum, ut anaphoram, quae est contraria chiasmo, coniciamus, est autem etiam tali specie, ut revera anaphoram perversis repetitionibus cognoscere liceat. Harum anaphorarum utram censeat Hermogenes non liquet. Si exemplum, quod ad illustrandam affert anaphoram *κατὰ κῶλον*, cum eo comparamus, quod ad anaphoram *κατὰ κόμμα*, ad eam inclinamus, quae paribus verbis membra inchoat, sin autem quaerimus, cur *κατὰ κῶλον* et *κατὰ κόμμα* distinxerit, eam quoque cogitare possumus, quae eisdem verborum generibus eodemque verborum ordine efficitur. Hac enim anaphora praecipue membra sententiarum perpoliuntur. Haec est, quam Naegelsbach in libro, qui inscribitur ‚Lateinische Stilistik' [1]) tractat, alterius ne mentionem quidem facit. Quae cum ita sint, difficile sit ad iudicandum, utrum Hermogenis distinctione anaphora verborum ordine formata secernatur ab ea, quae sententias vel earum partes eodem verbo inchoat, an anaphora longioribus membris adiecta ab ea, quae brevioribus adhaeret.

Sed iam Tiberius adest. Fert autem copiam conquisitorum undique ex libris exemplorum, nota iterum porrigens, non ordine et perspicuitate delectare studens, sed varietate et luxuria. Nova frustra exspectamus. Quare Herodiano eum cedere libenter concedimus. Qui quidem nobis videndi cupidis insolentia et novitate rerum quasi adimit sensus. Nihil de prisca illa Alexandri ratione disponendi et digerendi, nihil de exemplis illius similibus. Tantopere novus incedit, ut eum ad tempus abire iubeamus et eius reditum tum, cum reliquos audiverimus, optemus.

Succedit Zonaeus. Qui quoniam non ignorat etiam pauca, si bene sint disposita, aliquid esse videri, digerit, quamquam ipsa digestione paene legentis risum movet.

---

[1]) Nürnberg 1888, p. 639.

Nam quomodo duplicem anaphoram ab simplici differe arbitramur, cum ambae *πλειόνων κώλων ἢ ῥημάτων ἀπὸ τῆς αὐτῆς λέξεως ἀρχομένων συνεκδοχή* sint? In exemplis nimirum facile discrimen cognoscitur. Est autem idem, quod habet Hermogenes.

Ioannes Siculus denique non iam membra et incisa, sed ipsam repetitionem respicere videtur. Differre enim censet anaphoram ab anaphora, si altera ab eadem dictione, altera ab eadem syllaba incipiat. Si complures sententiae saepius voce *τί* incipiant, esse anaphoram syllabae, si voce *Χριστός* esse dictionis. Ceterum in eiusdem allatis exemplis eundem ordinem in constructis membris cum voce repetita coniunctis non desideres. —

Iterum Herodianus pulsat pede ianuam, sed melius erit eum excipere, cum eorum qui adsunt etiam **definitiones** diligentissime perpenderimus.

Alexandri ut tradita est definitio, caligine et tenebris involuta omni intellectu caret. Et ne tum quidem, si *ὀνόματος* pro *κόμματος* ponitur, lectio salva sit; neque enim intellego, cur contextus verborum continuetur: *ἢ ὅταν* .... cum hoc et illud par sit. At Phoebammonis definitio quasi luna inter stellas emicat. Et illam anaphoram, quae eodem ordine verborum efficitur, et quae eisdem verbis membra inchoat, in eius definitione intellegere licet. Quo obscurior fit Tiberius. Cum *κῶλα* et *κόμματα* ab aliis grammaticis distinguantur, hic ea confundit et *κόμματα* facit partes colorum. Quae *κόμματα* si ab eadem dictione incipiant, anaphoram esse putat. Quasi non ipsa *κῶλα* ab eadem dictione incipere possint! Anonymus porro nihil novi affert. Ioanni Siculo autem anaphora est *περίοδος*. Quae vox anceps est. Est enim et circuitus orationis sive comprehensio et circuitus sive reditus. Si Ioannes censet anaphoram esse comprehensionem, quae eadem dictione saepius resumatur, certe eam significat anaphoram, quae ordine verborum tantum efficitur, sin autem reditum verborum, alteram illam. Exempla in utramque partem intel-

legere non vetamur. Gregorii denique definitio dilucida est. Nam anaphora non intellegitur nisi ea, quae eodem verbo vel eisdem verbis complura membra inchoat.

Cur Graecorum de anaphora sententiae tantopere discrepent.

Praetermisimus Herodianum! Causa fuit, quod priores satis superque nos occuparunt, ex quorum inexplicabilibus doctrinis aliquid expediremus. Herodianus autem eiusque similes perturbationem illam cumulo auxissent. Habet enim non anaphoram, sed anaphorae affines figuras, et nihil exempla eius differunt ab eis, quae ad illustrandas conduplicationem et epanalepsim adhibentur. Itaque falso nomine anaphorae fallere nos studebat. Quod facilius ei contingere visum est, quod etiam alii antea significationes confuderant. Velut Hermogenes in libro *Περὶ μεθόδου δεινότητος* ubi de epanalepsi agit, nonnulla exempla habet, quas nemo anaphoras esse neget. An quis est, quin illud Herodoti: *φονεὺς μὲν τοῦ ἑωυτοῦ ἀδελφοῦ, φονεὺς δὲ τοῦ καθήραντος* anaphoram esse putet? Hermogenes autem in extremo capite hunc locum affert.[1] Quodsi hic tantus rhetor singulas significationes confundit, quid mirum, si posteriores eodem morbo aegrotant? Illa Gregorii definitio anaphorae reperitur, ubi locos Hermogenis, qui de epanalepsi agunt, interpretatur. Dicit enim locum interpretans *„Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας, Νιρεὺς Ἀγλαΐης υἱὸς Χαρόποιο δ' ἄνακτος, Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν.'* — *Ἡ γοῦν ἐπαναφορά, πλῆθος ἔχουσα* . . . Quis non sentit id exemplum esse epanalepseos? Ceterum etiam Aristoteles hunc locum habet, ubi de verbis repetitis agit, sed non hanc iterationem nomine anaphorae appellat. Qui quidem de repetitionibus in dicendo contemptissime loquitur. Dicit enim:[2] *καὶ οἱ ῥήτορες χρῶνται.*[3] *ἔστι γὰρ ὑποκριτικά. ἀνάγκη*

---

[1]) W. III p. 412 cap. XI.

[2]) Rhet. III cap. 12.

[3]) sc. *τῷ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν.*

δὲ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντας. ὅπερ ὥσπερ ὁδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι· ‚οὗτός ἐστιν ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξαπατήσας, οὗτος ὁ τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας.' Actioni, ut videmus, accommodatam putat anaphoram, ad rem nihil pertinere. Quod etiam veteres animadverterunt. Aquila quidem[1]) sic tradit: ‚Aristoteli iteratio ipsa verborum ac nominum et repetitio frequentior et omnis huiusce modi motus actioni magis et certamini quam stilo videtur convenire.' Ab Aristotele in aestimanda repetitione non valde differt libri *περὶ ὕψους* auctor. *‚Εἶθ' ἵνα μὴ ἐπὶ τῶν αὐτῶν ὁ λόγος στῇ,* inquit,[2]) *‚εὐθὺς ἐπ' ἄλλα μεθήλατο ἀσύνδετα καὶ ἐπαναφοράς. τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρός, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης.*

Sed haec hactenus. Iam causam cognovimus, cur tanta singularum repetitionum significationum confusio sit orta. Temporibus enim Aristotelis propria nomina singulis figuris constituta esse non videntur, sed genus repetitionis ex exemplo intellectum. Et rhetoribus posteriorum temporum certas significationes singularium repetionum defuisse non incredibile est. Nam etiam apud Romanos aliae significationes idem valent quod nomen anaphorae.[3]) Quae cum ita sint, Herodianum eiusque similes, qui nomen tantum anaphorae habent, quorum tamen exemplis ne una quidem anaphora cognoscitur, relinquimus. Item nostrum non est eam anaphoram, quam ‚Grammatici Graeci' habent, respicere. Horum enim anaphora est *ἐγνωσμένου πράγματος ἀναπόλησις*[4]) vel *ἀναπόλησις καὶ ὑπόμνησις προεγνωσμένου ἀπόντος προσώπου*[5]) velut aliquis dicat, qualis fuit alius atque alius, talis Achilles. Quapropter ad Romanos properemus.

---

[1]) H. 81, 30.
[2]) Sp. I 271, 22.
[3]) Rutilius: *ἐπιβολή*.
[4]) Alfredus Hilgard, Grammatici Graeci, Lipsiae MCMI, pag. 68.
[5]) ib. Schol. Vat. p. 215, 33.

B. Quid Romani de anaphora censuerint.

E Romanis de anaphora egerunt:

a) Rhetores:

α) Auctor rhetoricae ad Herennium
(Schanz, R. L. I Münch. 1898 p. 389: „Zeit des Lehrschrift zwischen 86—82“ cf. Marx Proleg. p. 153.)

β) Cicero

γ) Rutilius Rufus
(apud Quintilianum memoratus.)

δ) Quintilianus

ε) Auctor carminis de figuris,
(Teuffel, § 451: „während die ersten Herausgeber das Gedicht der Augusteischen Zeit zuteilten, hat es F. Haase frühestens in die der Antonine, W. Christ in die nach den Antoninen gerückt.“)

φ) Aquila Romanus
(T. § 388, „ungefähr aus der Zeit 253—284“, Schanz: Röm. Literatur, 4. Teil, Münch. 1904 p. 162 Anm. „Seine Blüte wird in die 2. Hälfte des 3. Jahrh. gesetzt.“)

η) Iulius Rufinianus,
(T. § 427, 9 „gibt sich als Ergänzung des Aquila aus anderen Quellen“, Sch.: ibid. p. 168 „An Aquila knüpft Iulius Rufinianus an.“)

ϑ) Martianus Capella,
(T. § 452, „vor der Eroberung Afrikas durch die Vandalen“.)

b) Grammatici:

α) Marius Plotius Sacerdos, qui ante Diomedem floruit,
(Teuffel, § 394.)

β) Donatus, saeculo IV,
(T. § 409.)

γ) Diomedes, eodem s. IV.

δ) Charisius, eodem saec. IV.

ε) Pompeius, commentator Donati.

a) Rhetores.

α) Auctor ad Her:[1]) „Repetitio est, quom continenter ab uno atque eodem verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur, hoc modo: Vobis istuc adtribuendum est, vobis gratia habenda, vobis ista res erit honori. item: Scipio Numantiam sustulit, Scipio Karthaginem delevit, Scipio civitatem servavit."

Sequuntur nonnulla alia eiusmodi exempla, deinde pergitur:

„Haec exornatio quom multum venustatis habet, tum gravitatis et acrimoniae plurimum; quare videtur esse adhibenda et ad ornandam et ad exaugendam orationem." —

Qui quem e Graecis secutus sit, statuere non possumus,[2]) cum illis temporibus nondum libri Graecorum qui de anaphora agunt exstent. Equidem paene contendam hac in re e nullo eum pendere, quod in anaphorae descriptione illud ‚in rebus similibus et diversis' nemo e Graecis servavit. Graeci enim in anaphora praecipue enuntiata et eorum partes respicere videntur, Cornificius autem sententias neglegit. An Graeci alia in dicendo anaphora utuntur atque Romani? Koch quidem hoc mihi probare videtur,[3]) cum dicit: „Auch bei Wiederholung desselben Wortes in verschiedenen, unmittelbar aufeinanderfolgenden Sätzen[4]) gebraucht der Grieche gewöhnlich *μὲν* - *δὲ*, z. B. Mem. I 1, 32, *ἐγὼ δὲ σύνειμι μὲν θεοῖς, σύνειμι δὲ ἀνθρώποις τοῖς ἀγαθοῖς*.[5]) An. VII 5, 14. *ἐνταῦθα εὑρίσκοντο πολλαὶ μὲν κλῖναι, πολλὰ δὲ κιβώτια πολλαὶ δὲ βίβλοι γεγραμμέναι.*" Puto autem non propter anaphoram esse illud ‚*μὲν* -- *δὲ*' positum immo vero propter res contrarias.[6]) Sed cum vocula *δὲ* saepe alteri membro inepte adseratur, verbum voculae *μὲν* adiectum

[1]) Rhet. ad Her. libri, ed. Marx Lips MDCCCXCIV, IV 13, 19.

[2]) cf. Marx Proleg. 159: In libris ad Her. vestigia Graecae originis ubique fere deleta sunt.

[3]) Griech. Schulgrammatik, Leipzig 1885, pag. 324.

[4]) Bei der sog. Anaphora.

[5]) Wir übersetzen: aber auch.

[6]) cf. etiam pag. 8 et 16.

repetitur. Quae cum ita sint, etiam anaphoram Graecorum ab Romanorum consuetudine discrepare non incredibile est, sed leve discrimen esse confirmo. Amborum enim praecepta mirum in modum plerumque congruunt. Velut

β) Cicero: ‚Geminatio, inquit, verborum habet interdum vim, leporem alias[1]) et paulum immutatum verbum atque deflexum et eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio.‘[2]) In libro porro qui inscribitur Orator (135) non est commemorata nisi in luminibus orationis. ‚Lumen orationis est, inquit, cum ab eodem verbo saepius ducitur oratio.‘ Item Graecos secutus esse videtur

γ) Rutilius Rufus. Qui priorum significationum neglegens anaphoram appellat *ἐπιβολήν*. ‚Hoc schema, inquit, dupliciter fieri consuevit, cum pluribus et diversis sententiis aut unum et idem verbum singulis praeponitur aut varietas verborum, quae tamen eandem vim inter se habent.’[3]) Ex allatis exemplis nihil novi intellegitur, quare ea praetereo. Commonere autem non supervacaneum esse puto Rutilii distinctionem ab Alexandro non abhorrere. Perbreviter anaphorae rationem complexus est clarissimus ille

δ) Quintilianus. Agit in libro Inst. (IX 3, 28) diffusius de verbis geminatis. Describit figuram, quam nos vocamus conduplicationem et eam quam nos appellamus epanalepsim. Deinde pergit: ‚et ab isdem verbis plura acriter et instanter incipiunt; nihil ne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?‘ Quid sibi vult illud ‚plura‘? Membra, enuntiata res diversas? Res diversas conicio; Cornificium sequitur.

---

1) cf. Demetrium: *χαριεντίζεται δέ ποτε.* Hermogenem *γοργὸν ποιοῦσι τὸν λόγον.*

2) De or. III 206.

3) Halm, 6, 6.

Sed cur ‚plura acriter et instanter incipere‘ postulat? Credo nulla de causa, nisi quod talis ei repetitio maxime placet. — Tum nonnulla de epiphora commemorans sic: ‚etiam in contrapositis‘, inquit ‚vel comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio, quod modo huius esse loci potius dixi: ‚Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat; te gallorum, illum bucinarum cantus exsuscitat, tu actionem instituis, ille aciem instruit, tu caves, ne consultores tui, ille, ne urbes aut castra capiantur.‘ Quintilianus sine dubio de anaphora chiasmo contraria hic agit. Cum altera igitur anaphora hanc artissime conexam esse docet. Nihilominus recentiores alteram ab altera plane secernendam esse persuasum habent. Velut Gerberus:[1]) „Für die Stellung des ersteren“, inquit, „ist neuerdings (!) nach dem Vorgange von Nägelsbach[2]) der Terminus Anaphora gebraucht worden. Da indessen die rhetorische Figur dieses Namens eine Wiederholung desselben Wortes zu Anfang bezeichnet, welche doch nicht allein die Stellung angeht, so dürfte es besser sein, den Terminus hier zu vermeiden. Fälle wie Cic. Cat. 1, 9. Tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? bieten in rhetorischer Beziehung Anaphora, in Bezug auf die Satzgliederung, welche mit dem Rhetorischen nichts zu tun hat, (!) Concinnität. Als Beispiel für diese: Caes. b. G. 2, 27. ausos esse transire latissimum flumen, ascendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum.“

Gerberum certe nemo sequitur, qui Graecorum distinctiones anaphorarum cognoverit.[3]) Proximus de anaphora egit:

ε) Auctor carminis de figuris:[4]) Qui de anaphora hunc habet versum: ‚Est‘, sic hexameter incipit,

---

[1]) Die Sprache als Kunst, Bromberg 1871 I p. 588.

[2]) Lat. Stil. § 168, 3.

[3]) cf. etiam: K. Lorenz, Ueber Anapher und Chiasmus in Cäsars Bellum Gallicum, Kreuzberg 1865.

[4]) Riese, Alex. Antholog. Lat. Lips. MDCCCLVIIII fasc. II p. 18, v. 34; Halm 64, 34.

‚repetitio cum verbo saepe incipio uno.' Exemplum a prioribus non discrepat.

ζ) Aquila Romanus[1]) porro de anaphora haec habet: ‚Ἐπαναφορά, quod relatum vocant. Hac figura vel frequentissime Demosthenes et M. Tullius et omnes oratores vehementes utuntur, quando et ipsi commoti videri volunt et iudicem commovere. Constat autem ex eo, quod eadem pars orationis saepius per singulos ambitus aut per singula membra interdum etiam brevius per caesa, quae κόμματα appellant, repetitur hoc modo . . . .[2])' Nova sunt, quod occasio monstratur, quando oratori anaphora sit adhibenda, et quod illa Hermogenis distinctio augetur una parte

η) Iulius Rufinianus est proximus. Cui ἐπαναφορά, quam iterationem Latine vertit, est, cum ab eodem verbo plures inchoatae sententiae incipiunt, ut: Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori.[3]) Sequuntur: Aen. III 469, Georg. II 322, I 289, Aen. III 535.

ϑ) Martianus Capella denique de anaphora, quam Latine relationem vertit, haec tradit:[4]) ‚Relatio, quotiens per singula membra eadem pars orationis repetitur hoc modo: Verres calumniatores apponebat, Verres de causa cognoscebat, Verres pronuntiabat.' Aquilam secutus esse videtur. Restant

b) Grammatici.

Grammatici Latini omnes idem verbis tantum mutatis docuerunt.

α) Marius Plotius de anaphora agit hoc modo: ‚Anaphora est, inquit, cum idem verbum in principio tam primae quam secundae ponitur dictionis, ut: ‚Nate meae vires, mea magna potentia solus.'[5])

---

[1]) H. 31. cap. 34.

[2]) Exempla iam apud Hermogenem attulimus.

[3]) Verg. Ecl. 10, 42.

[4]) Halm pag. 481.

[5]) Keil VI 458, 7.

β) Donatus porro in artis grammaticae libro tertio haec exponit: ‚Anaphora est relatio eiusdem verbi aut similis per principia versuum plurimorum, ut: ‚Nate . . .[1])

γ) Diomedes porro eisdem verbis eodemque exemplo utitur.[2])

δ) Charisio est anaphora, ‚cum eadem dictio in principio versuum ponitur, ut: Nate . . .‘[3])

ε) In Pompei denique commento idem Vergilii exemplum legimus, anaphora vero aliis verbis sed eodem sensu describitur: ‚Anaphora est‘, inquit, ‚quotiescunque per multos versus uno uteris verbo, in initio tamen, ut: Nate . . . Si iterum velis tu componere quatuor aut quinque versus tamen ab ipso sermone inchoantes, anaphora est.‘[4])

Iam grammaticorum placita inspeximus. Quae de anaphora tradiderunt essent dilucida, nisi unius doctrina paulum confunderemur. Diomedes enim secundam quoque habet anaphoram, „per quam elocutio non convenienter respondens ad aliud refertur occulte, ut est apud Sallustium: ‚sed antea item coniuravere pauci, in quis Catilina fuit‘. De qua, quam brevissime potero, dicam. Hic de qua intellegitur coniuratione“. — Haec anaphora, cum longe alia sit atque ea, de qua agitur, a nostra quaestione excludatur.[5]) Sed haec hactenus. Transeamus ad scriptores recentiores.

C. Quid scriptores recentiores de anaphora tradiderint.

Recentiorum qui de anaphora egerunt clarissimi videntur hi:

[1]) Verg. Aen. I 664, Keil, G. L. IV 398, 5.
[2]) Keil, I 445, 13.
[3]) Keil I 281, 15.
[4]) K. V 302, 26.
[5]) K. I 445, 22.

a) Ecclesiastici:

α) Isidorus

(ca. a. DLXX—DCXX)

β) Beda Venerabilis

(a. DCLXXII— DCCXXXV).

b) Grammatici aevi Caroli Magni

(Nomina non sunt tradita. Anecdota autem Helvetica nonnulla praecepta ex illis temporibus habent, cf. Bursian I 1 pag. 18).

c) Poetae saeculi XII.

α) Alexander de Villa Dei

(ed. Doctrinale a. MCXCIX cf. Dr. Dietrich Reichling, Das Doktrinale des Al. de V. D. Berlin 1893 p. XXI).

β) Eberhardus Bethuniensis

Quibus temporibus floruerit Eberhardus vix certi quicquam definiri potest. Fuerunt, qui saeculo XII eum vixisse statuerent, sententiam suam incerti auctoris versibus confirmantes his:

Anno milleno centeno bis duodeno
Condidit Ebrardus Graecismum Bethuniensis.

cf. Eberhardi Beth. Graecismus, ed. Wrobel, Vratislaviae MDCCCLXXXVII).

d) Grammatici saec. XV

(Melanchtho, Cyprianus Soarius.)

e) Nonulli huius aetatis viri illustrissimi: Ernesti, Lobeckius, Erschius, Volkmannus, Kuehner, Nägelsbachius, Gerber, Birtius.

a) Ecclesiastici.

α) Isidorus[1]) sequitur grammaticos Latinos. ‚Anaphora est‘, inquit, ‚repetitio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum, ut: Nos te Dardania incensa tua qui arma secuti, Nos tumidum sub te permensi classibus aequor‘? Pergit autem: ‚Epanaphora est in uno per principia sensuum eiusdem verbi repetitio, ut: Te nemus Angitiae, vitrea te Focinus unda, Te liquidi flevere lacus.‘ Proprium est Isidori anaphoram ab epanaphora discernere,

---

[1]) Corpus grammaticorum Latinorum veterum ed. Fredericus Lindemannus Tom. III p. 53, 8 Lips. CIↃIↃCCCXXXIII.

quamquam antea nemo hoc discrimen habet. Sed haec distinctio mira videtur, quod versus tantum respiciuntur, per quos anaphora extenditur. Ex Isidoro pendet

β) Beda Venerabilis. Qui sic agit: ‚Anaphora, id est relatio, cum eadem dictio bis saepiusve per principia versuum repetitur, ut: Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Et infra: Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo. Fit autem anaphora et in eodem per principia sensuum versu, ut: Vox domini in virtute, vox domini in magnificentia, vox domini confringentis cedros. Quae figura in psalmis usitatissima est.‘ Bedae distinctio cum Isidoro congruit. Ecclesiastici igitur praeter distinctionem nihil novi docuerunt.

b) Grammatici aevi Caroli Magni.

In Anecdotis Helveticis de anaphora haec sunt tradita:[1]) ‚Anaphora est repetitio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum, ut: Nos te Dardania . . . .‘ et reliqua. Non deest illud contritum exemplum: Nate meae vires . . . . Novus affertur ille Vergilii locus:[2]) ‚Italiam primus conclamat Achates, Italiam laeto socii clamore salutant.‘ Porro: ‚Dixit Balaam, filius Beor, dixit homo, cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum dei.‘ Tota haec tractatio, ut commonet Hagen, qui Anecdota Helvetica edidit, ex Isidoro pendere videtur, nonulla ex Donato aliisque grammaticis. Auctor, ut ex extremo intellegitur exemplo[3]) est ecclesiasticus.

c) Poetae saeculi XII.

Quae ab antiquis grammaticis erant tractata, a scriptoribus medii aevi inclusa sunt versibus. Duo praecipue

---

[1]) De libris Bernensibus, pag. XLVII v. 27.

[2]) Aen. III 523.

[3]) ex sacra script. lib. Num. 24, 3.

poetae huius generis, qui saeculo XII. fuerunt, in rebus grammaticis et rhetoricis versati anaphorae mentionem faciunt.

α) Alexander de Villa dei, qui de anaphora[1]) sic agit: ‚Clausis principium dat anaphora pluribus unum:
Christus mundavit, Christus nos purificavit.‘

β) Eberhardus Bethuniensis, qui haec anaphorae praecepta habet: ‚Principiis repetas vocem, repetitio fiet:
Tu mihi lex, mihi rex, mihi lux, mihi dux, mihi iudex,
Te colo, te cupio, te diligo, te peto Christe.‘[2])
Ut de aliis rebus, ita etiam de anaphora nihil novi comperimus.[3])

d) Grammatici saec. XV.

α) Humanistae qui vocantur etiam anaphorae praecepta sequuntur antiquorum. Velut

Philippus Melanchtho in rhetorices praeceptiunculis doctissimis: ‚Repetitio est‘, inquit, ‚cum eadem vox repetitur. Ut: Scipio Numantiam sustulit . . .[4]) Atque ea repetitio, cum fit in principio diversarum orationum, ut in allegato exemplo: ‚Scipio Numantiam . . . .‘ Sic: Verres calumniatores adponebat . . .[5]) a Graecis dicitur *ἀναφορά*. Aquila vocat *ἐπαναφοράν*, *ἐπιβολὴν* vocat Rutilius.‘ — Agit deinde de reliquis repetitionibus. In extremo capite haec commemorat: ‚Vides, lector, varietatem nominum. Tu observa repetitionem fieri alias in diversis orationibus alias in una eademque oratione vocabisque generali nomine repetitionem, ne appellationum varietate confundas ingenium.‘ Quod

---

[1]) Reichling, das Doktrinale d. A. Berl. 1893 p. 164.

[2]) Wrobel, Eb. Beth. Graecismus, Vratislaviae MDCCCLXXXVII pag. 11 cap. III v. 3 sq.

[3]) cf. Thurot, Notices et extraits des Manuscrits, Paris MDCCCLXVIII tom. XII, chapitre I, Caractères généraux de la science grammaticale p. 68: Il ne faut donc s'étonner si les rares citations d'auteurs profanes, que l'on rencontre dans ces ouvrages, sont toutes tirées des grammairiens anciens.

[4]) cf. Auct. ad Her.

[5]) cf. Aquilam.

attinet ad hoc consilium, a litterarum studiosis illius aetatis plane probatum esse videtur. Liber enim quem in manibus teneo, qui est ‚de emendata structura Latini sermonis auctore Thoma Linacrio Britanno‘, depositus in bibliotheca Wirceburgensi, in extrema pagina hanc habet adnotationem manu scriptam et illi aetati adaptatam: ‚Repetitio, anaphora, *ἐπαναφορά, ἐπιβολήν, ἐποφαληψις (sic!) ἐπαναδίπλωσις, αντιστροφη, επιφορὰ, παλλιλογία, ἀναδίπλοσις, (sic!) ἐπιζευξις,* complexio, *συμπωκὴ,* copulatio, *πλωκὴ, αντίσασις:* habent unam significationem.‘ Quis dubitat, quin hoc a dicendi magistro dictatum sit? Ergo anaphorae doctrina illis temporibus neglecta iacebat.

β) Neque vero Iesuitae dicendi studiosissimi eam magis excoluerunt. Ut omittam illos commentarios veterum grammaticorum et rhetorum, velut tabulas Raphaeli Cylleni Angeli,[1]) porro Marci Antoni Maioragii in M. T. Ciceronis ad M. Brutum commentarium,[2]) qui nihil novi continent, Cyprianum Soarium affero, qui tres libros scripsit de arte rhetorica. Qui de anaphora: ‚Repetitio‘, inquit, ‚est cum ab eodem verbo ducitur saepius oratio[3]) vel ut Cicero (!) describit: Est eiusdem verbi crebra a primo repetitio. Quod acriter et instanter fit.[4]) Cic. in Catil: Nihil agis . . .‘ Sequuntur duo exempla ex Cicerone deprompta. Nemo non cognoscit Ciceronis et Quintiliani locos esse sine ratione conglomeratos. Retinebantur igitur vetera, nova non expetebantur. Reliquum est, ut afferantur

e) Nonnulli huius aetatis viri illustrissimi.

α) Ernesti in lexico technologiae Graecorum rhetoricae[5]) haec habet:[6]) *Ἀναφορά,* relatio, fig. qua verbum

---

[1]) Venetiis, apud Jordanem Zilettum et socios a. MDLXXI editas.
[2]) Basileae, per Ioannem Oporinum editum a. MDLXXVII.
[3]) cf. Ciceronem Or 135. [4]) cf. Quintil
[5]) Lips. MDCCXCV. [6]) pag. 21.

in singulis membris repetitur. In ea Demetrius de Eloc. 141 docet inesse etiam alias figuras, ut ἐπαναφοράν . . ., ἀσύνδετον . . ., ὁμοιοτέλευτον . . . cf. id. 268 et Longin. 20 I it. Berger. de nat. pulcr. Or. p. 161. Hermog. p. 58.' — Agit deinde de anaphora Gramm. Graecorum atque pag. 117 legimus: Ἐπαναφορά, fig. eadem quae ἀναφορὰ Longino.' Sequuntur loci, ubi ab antiquis de hac figura est disputatum.

β) Lobeckius porro de singulis figuris scholam habuit. Sed quae discipulos docuit, non in lucem edidit et adhuc quae ad anaphoram pertinent, typis non sunt expressa.[1])

γ) Erschius in libro qui inscribitur Allgemeine Encyklopädie der Wissenschaften und Künste in alphabetischer Folge[2]) de anaphora haec exponit: „Ebenfalls um Nachdruck zu geben, bedient man sich auch der Wiederholung, die demnach nur da anzuwenden ist, wo man den Eindruck durch Nachdruck zu verstärken beabsichtigt und wie sich schon von selbst versteht, wo dies der Mühe wert ist. Die alten Rhetoriker unterschieden drei Arten der Widerholung." Sequitur aliquid de conduplicatione. Deinde pergitur: „Anaphora, wenn mehrere aufeinanderfolgende Sätze mit demselben Worte oder denselben Worten anheben, wodurch der Gedanke sich tiefer einprägt." Contra dicendum est non patere qui fiat, ut quod anaphorice est dictum, melius menti adhaereat. Nemo antea hoc contendit et ne nunc quidem id argumentis confirmetur. Quamquam concedo esse anaphoras hac virtute praeditas, sed omnes esse praefracte nego.

δ) Volkmannus in libro rhetorices[3]) haec habet: „Die Wiederholung desselben Wortes am Anfange mehrerer aufeinanderfolgender Satzglieder (κῶλα), eine Figur, deren

[1]) cf. Lobeck, Auswahl aus Lobecks akad. Reden; Herausgeg. von Albert Lehnert, Berlin 1865.

[2]) Bearbeitet und herausgegeben von J. G. Gruber, Leipzig, F. A. Brockhaus 1846.

[3]) Rhetorik der Griechen und Römer 3. Aufl. bes. v. C. Hammer 1901 pag. 44.

sich namentlich Demosthenes und Cicero sehr häufig bedienen, gibt der Rede den Charakter nachdrücklicher, ja heftiger Lebendigkeit. Dies ist die Anaphora oder Epanaphora, repetitio. Cic. Phil. XII 12, 29: credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Doppelte Anapher findet sich: Dem. Mid. 72 und Cic. Sulla 5, 14." Hoc Ciceronis exemplum ut intellegatur hanc anaphoram aliam etiam esse atque illas ab antiquis appellatas duplices anaphoras,[1]) hic adscribam: ‚Multa cum essem consul de summis rei publicae periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi, nullus unquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla suspicio'. — Sic Volkmannus. Sed forsitan quispiam causam quaesiverit, cur anaphora orationem vehementiorem faciat. Hanc enim desideramus. Et illa significatio duplicis anaphorae mea quidem sententia anaphorae doctrinam non reddidit magis dilucidam.

ε) Raphael Kühner ita disserit: „Eine besondere Eigentümlichkeit der lateinischen Sprache ist das ausserordentlich grosse Streben, die Gegensätze durch die Stellung auszuzeichnen. Sie wendet dazu folgendes Mittel an: Die Wiederholung des nämlichen Wortes zu Anfang eines neuen Satzes oder der nämlichen Wortfolge — Anaphora — Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas.[2])." De anaphorae natura apud eum nihil comperimus, nihil novi discimus, nisi forte illud, anaphora res contrarias opponi. Sed hoc mihi nimis audacter dictum esse videtur, si ad omnes spectas anaphoras.[3])

φ) Naegelsbachius qualem habeat anaphoram iam apud Hermogenem exposuimus.[4])

η) Gerberus quamvis diffuse de scriptoribus, qui de anaphora egerunt, disputaverit et anaphorae virtutes plurimis illustraverit exemplis, quid sit anaphora explanare re-

---

[1]) cf. Alexandrum, Zonaeum, Diomedem.

[2]) Cic. Arch. 6, 14.

[3]) Kühner, Gr. II 2, 1079, 10.

[4]) p. 21.

cusat. Ceterum qua quisque aetate fuerit scriptor ex ordine interdum habet neglectum.[1])

ϑ) Birtius denique nova quasi fundamenta iecit, in quibus si anaphorae doctrina aedificata erit non iam fragilis erit et caduca. Primus enim vidit ‚summum esse munus anaphorae, ut scriptori particularum gratiam faciat'.[2]) Quod quantum valeat in quaestione anaphorae, hac tractatione illustretur.

II.

Quae ex praeceptis de anaphora propositis maxime memoria sunt digna, acuratius inquiruntur et quae antea parum diligenter disputata sunt, copiosius explicantur.

a) Demetrii et Birtii sententiae conferuntur.

Iam contulimus, quatenus fieri potuit, leges atque praecepta a viris doctis de anaphora proposita. Iterum quae priores elaboraverunt complectimur et generatim comprehendimus. Vidimus Graecos anaphorae in oratione plurimum tribuisse, Romanos huic figurae multa detraxisse, recentiores vix eam respexisse. Huius attenuationis et diminutionis, qua anaphora iniquitate temporum afficiebatur, quis non quaerat causam? Est autem, quod primae anaphorae leges parum diligenter erant propositae et subtilitate carebant. Et quam prope aberant Graeci a ianua qua effracta et revulsa tota anaphorae doctrina patuisset. Nonne Demetrius, nonne Alexander tenuit clavem? Hic ubi exponit,

[1]) Hermogenes-Alexander, Quintilian-Cornificius, Beda, Rutilius Lupus. Gerber, die Sprache als Kunst, Bromberg 1872 II 1, 195.

[2]) De Halieuticis, Berol. MDCCCLXXVIII pag. 59.

qua in re differant σχήματα λέξεως a διανοίας, habet exemplum: ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς. Commemorat autem anaphoram esse dissolutam, si pro altero ‚ἐπὶ' ‚καὶ' ponatur. Ille autem in eodem exemplo iam pridem id commonuerat. Viderunt igitur ambo anaphoram esse quandam iuncturam. Sed cur non quaesiverunt, pro quanam coniunctione singulae anaphorae essent positae? Hoc mehercule proximum fuit. Omissum id est a Demetrio, et omnis anaphorae disciplina claudicabat, factum est a Birtio et nova quasi lux affulsit.

b) De repetitionibus et repetitionum figuris agitur.

Ut demonstretur, quam non conveniant quae adhuc sunt scripta quaestioni, liceat nonnullis exemplis exponere, quam multa quamque varia repetitione verborum effici possint. Velut in Ovidii Metamorphoseon exemplo [1]) sic legimus: „Quid faciam? Roger anne rogem? quem deinde rogabo?" Hic repetitione eiusdem verbi describere et quasi depingere studet poeta, quam multiplex rogatio esse possit. Aliud exemplum sit: [2]) ‚Quis credat pueris non nocuisse feram? Non nocuisse parum est, prodest quoque.' Hic poeta corrigere se vult. Idem ex sequenti exemplo cognoscitur: [3]) ‚Proximus huic, longo sed proximus intervallo.' Non raro repetitio usurpatur ad augendum et cumulandum, ut: magis magisque, [4]) iam iamque, iterum iterumque, minus atque minus [5]) et illud Vergilii: [6]) ‚Bella, horrida bella Et Thybrim spumantem sanguine cerno.' Quam varie poeta repetitiones adhibeat, ex sequenti intellegitur exemplo: [7]) ‚Mille fugit refugitque vias at vividus Umber Haeret

[1]) III 466.

[2]) Ov. Fast. II 413

[3]) Aen. V 320.

[4]) magis atque magis (Verg. Aen. XII 39) magis ac magis (Aen. XII 412).

[5]) Aen. XII 616.

[6]) Aen. VI 86.

[7]) Aen. XII 753.

hians iam iamque tenet similique tenenti Increpuit malis morsuque elusus inani est.' Non praetermittam silentio duos locos, in quibus perpulchra est repetitio:[1] ,Quasque male amisit, nunc male quaerit opes' et:[2] ,Et semper causa est, cur ego semper amem.'

Sed hae sunt eae repetitiones, quae in figuris non numerentur. Figurae enim repetitionis sunt:

a) Polyptoton: Fallite fallentes.[3]

b) Conduplicatio: nunc, nunc insurgite remis,[4] Procul o procul este profani.[5]

c) Reduplicatio: Hoc spatium tantumque morae fuit Ilo. Ilo namque procul validam direxerat hastam.[6]

d) Epanalepsis: Vidit . . . . Vidit et incaluit.[7]

e) Epiphora: Iubebant credere, prohibebant credere.[8]

f) Anaphora.

Modo nihil feci nisi ut figuras repetitionis enumerarem. Nonne etiam ad certas leges redigendae sunt? Sane quidem. Distinctio enim fieri potest: aut

A) a specie repetitionis ducta; si verba repetita considerantur:

I quo ordine resumantur,

a) utrum eodem ordine,[9]

b) an per χιασμόν quem grammatici appellant,[10]

c) an incerto ordine.[11]

II qualia sint,

a) utrum plane paria,[12]

---

[1]) Ov. Her. Sapph. 66.
[2]) ibid. 80.
[3]) Ov. ars. am. I 645.
[4]) Aen. V 89.
[5]) Aen. VI 258.
[6]) Aen. X 400.
[7]) Ov. II 306.
[8]) Metam. VII 716.
[9]) anaphora, epiphora.
[10]) reduplicatio.
[11]) polyptoton, epanalepsis.
[12]) conduplicatio, epanalepsis.

b) an una vel pluribus syllabis imparia,[1])
c) an modo paria modo imparia.[2])
B) aut a natura repetitionis ducta,
I quid repetitione expetatur,
a) utrum unum expetatur,[3])
b) an plura expetantur,[4])
c) an modo unum modo plura,[5])
II num repetitiones sint necessariae,
a) necessariae,[6])
b) non necessariae,[7])
c) modo necessariae modo non necessariae.[8])

Has repetitionum distinctiones si inspexeris, tria semper esse genera cognosces, quibus illae figurae continentur. Ex illis autem distinctionibus optima sit, quae ponderat, quid repetitione expetatur. A qua distinctione interdum antiquos esse profectos vidimus, sed quod anaphorae vim effectricem non angustissimis terminis circumscribebant, immo vero ei tribuebant, quae non solum ceteris repetitionibus sed omnibus fere figuris conveniebant, nihil profecerunt. Omnes enim figurae bene adhibitae ornamentum sunt orationi, id autem quod venustatem praebet, non ut apud tropos in novitate cogitationis et perceptionis, sed in novitate est conexionis. In anaphora autem vim esse copulativam, plurimis argumentis instituimur.

c) Quae vim copulativam anaphorae ostendant argumenta afferuntur.

Anaphorae inesse vim copulativam id primum sit argumentum, quod poeta alterna vice et anapho-

[1]) polyptoton.
[2]) anaphora, epiphora, reduplicatio.
[3]) velut conduplicatione et polyptoto amplificatio.
[4]) velut epanalepsi conexio et amplificatio.
[5]) velut anaphora, epiphora, reduplicatione modo sola coniunctio, modo conexio et amplificatio.
[6]) epanalepsis.
[7]) polyptoton, reduplicatio, conduplicatio.
[8]) anaphora, epiphora.

ram et particulas copulativas usurpat. Id Birtius in Halieuticis[1]) plurimis exemplis illustravit, quo ex libro haec affero:

Metam. II 217:
Ardet Athos Taurusque Cilix et Tmolus et Oete
Et nunc sicca prius celeberrima fontibus Ide
Virginineusque Helicon et nondum Oeagrius Haemos.
Ardet in immensum geminatis ignibus Aetne,
Parnasusque biceps et Eryx et Cynthus et Othrys
Et tandem nivibus Rhodope caritura Mimasque
Dindymaque et Mycale natusque ad sacra Cithaeron.
Nec prosunt Scythiae sua frigora: Caucasus ardet
Ossaque cum Pindo maiorque ambobus Olympus.

Ep. ex. Pont. IV 10 47:
Huc Lycus, huc Sagaris Peniusque Hypanisque Calesque
Influit et crebro vertice tortus Halys
Partheniusque rapax et volvens saxa Cynaspes
Labitur,

Met. VII 222:
Sublimis rapitur subiectaque Thessala Tempe
Dispicit et Tricces regionibus applicat angues
Et quas Ossa tulit, quas altum Pelion herbas,
Othrys quas Pindusque et Pindo maior Olympus
Perspicit.

Met. X 91:
Non nemus Heliadum, non frondibus aesculus altis
Nec tiliae molles nec fagus et innuba laurus,
Nec coryli fragiles et fraxinus utilis hastis.

Her. IX 89:
Non tibi Threïciis adfixa penatibus ora
Non hominum pingues caede tacentur equae.
Prodigiumque triplex, armenti dives Hiberi
Geryones, quamvis in tribus unus erat.

---

[1]) pag. 44.

Cydippes epist. XX. (XXI) 81:
Et iam transieram Myconon, iam Tenon et Andron
Inque meis oculis candida Delos erat.

Aen. VIII 705:
Omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

Buc. VII 49:
Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis.

Met. I 119:
Tum primum siccis aër fervoribus ustus
Canduit et ventis glacies astricta pependit.
Tum primum subiere domos.

Iam ex his enumerationibus anaphorae vis copulativa satis elucet. Accedit, quod omnis anaphora idonea est, quae coniunctione aliqua augeatur, ut tamen sensus sententiae integer remaneat. Id cum nimis obscurum sit, si verbis explanare studeam, exemplis illustrabo. In Vergilii libro Aeneidos nono est versus 394:

Audit equos audit strepitus et signa sequentum.

Quem versum, si oratione soluta et quam amplissime dici potest efferam, sic legetur:
Audit equos, et audit strepitus et signa sequentum.
Sensus non mutabitur, si leges:
Audit et equos et audit strepitus et signa sequentum.
Quodsi voce ‚et', quae est coniunctio, anaphora augeri et amplificari potest, verisimile est ipsam esse genus conexionis.

Anaphora porro cum voce ‚et' coniuncta, si hac particula privata tamen per se singula membra conectit, cur non ipsa quaedam conexio esse dicetur? Velut illud Ovidii:[1]) Mater Hyan et Hyan maestae flevere sorores. Num sensus mutabitur, si leges:
Mater Hyan, Hyan maestae flevere sorores?
Liquet anaphoram etiam omisso ‚et' sufficere posse membris conectendis.

[1]) Fast. 179.

Deinde anaphorae vis copulativa comprobatur eo, quod haec figura *saepissime ab oratoribus et poetis arripitur, ab historicis, grammaticis, philosophis* quasi inepti aliquid *repudiatur.* Hi enim cum non tam ad delectandos animos scribant, sed ut, quod verum est, ostendant, operam dent, ea quae homines docere volunt, breviter astringunt et in angustissimam formam contrahunt. Quapropter singulas sententias et singula sententiarum membra artissime inter se coniungunt. Illi autem qui non solum re ipsa sed etiam compositione verborum laudem expetunt, qui de singulis rebus fuse lateque dicunt, multum laboris impertiunt conexioni, multum modis ac numeris, multum aequalitati et congruentiae. Propterea illas levi pondere particulas in dicendo libentissime evitant et ut novitate verborum ita inusitata conexione membrorum legentium mentes erigere volunt. Poeta quidem id facere non raro ipso metro cogitur, nisi forte aliud adhibita repetitione spectat. Quomodo exempli gratia hexametro coniunctionem ‚non solum — sed etiam' intexet apte? Ceterum apud poetas singulae sententiae plerumque coniunctione carent, quia non causas aliasque condiciones respiciunt, sed res, ut quaeque animo obversatur, sine ullov inculo enumerant. Poetarum enim natura ad contemplationem considerationemque rerum, non ad eas existimandas inclinat. Quare apud eos illas particulas, quibus aliud ad aliud referatur, desideramus. Sed ut illa contrita et in omnium ore versantia verba repudiant, ita diligentissime id student, ut singulas sententias earumque membra compositissime concludant. Ideo ipsa positione et non raro figura anaphorae illas omissas particulas explere et compensare volunt.

Sunt autem etiam aliae causae, e quibus intellegitur anaphoram esse genus proprium conexionis. Quis credat futurum fuisse, ut tam *multae in carminibus potissimum anaphorae* exstarent, cum aliae figurae in iis multo rarius deprehendantur, nisi anaphora pro aliquo orationis elemento poneretur, quod saepissime occurrebat? Quid autem saepius in sententiis cernitur quam coniunctiones? Quodsi

vidimus poetam particulas maxime usitatas evitare, anapho ras cumulare, cur dubitamus, cum hanc figuram tam crebro animadvertamus, quin anaphora pro ipsis coniunctionibus sit posita?

At fortasse erit, qui neget anaphoram coniunctionem esse posse, quia repetitione verborum illa verba ipsa magis quam ea quae anaphora coniungenda sunt, insignia fiant. Quod qui contendit, nescit anaphora non raro verba ea esse coniuncta, quae quod sunt contraria, magis eminere necesse est. Velut illud Vergilii:[1])

Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,

vel illud Ovidii:[2])

Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellae.

Apparet vim positam non esse in qui et tot, sed in mare, terras, viri, puellae. Ceterum repetitione non solum res fit gravior et eminentior, sed etiam levior. Quod cum nondum disputaverim, nunc insequar. Constat verbum auditum, si iteratur, non tam attentis auribus accipi quam antea, sed verba repetita prae novis hebescere, novum autem vocabulum ne ibi quidem, ubi anaphora multis verbis componitur, exstingui, id quod maxime illustrat illud Ovidii:[3])

Et superesse videt de tot modo milibus un**u**m
Et superesse videt de tot modo milibus un**a**m,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos.

Scilicet numerale est quod cum vi efferatur.

Neque deerunt, qui, etsi vim copulativam anaphorae approbabunt, tamen negent ab oratoribus et poetis coniungendarum sententiarum causa eam adhiberi, quod officium coniungendi membra multo superetur illo altero anaphorae officio, quod ad amplificationem spectat. Quibus non plane repugno, sed tamen plerumque vim coniunctionis insigniorem esse illa exornandi et augendi pro certo habeo. Nam mihi conanti anaphoras in genera sic distri-

[1]) Aen. I 236.
[2]) Am. II IX 15.
[3]) Met. I 256.

buere, ut statuerim, num quo loco quaeque sit posita, ibi aliquid describatur, precando expetatur, vetetur, admoneatur, praedicetur, quia his in rebus plerumque homines vehementiores in dicendo esse solent, adeo non contigit, ut anaphoras digererem, quia undique in carminibus affluebant, ut mox iter incessum relinquerem. Id ut facerem etiam eo adductus sum, quod videbam Schillerum, cuius elegantia ingenii et subtilitas ab omnibus comprobatur, cum verteret illa Vergilii carmina, ab anaphora Vergiliana non raro discessisse et, ubi nulla erat, posuisse, ubi erat, reliquisse. Quid quod etiam Caesar, ubi minime exspectes, anaphora utitur velut: [1]) ‚divisum senatum, divisum populum'? Cicero vero ut in orationibus ita etiam in libris, qui ad philosophiam pertinent, saepissime utitur anaphora.

Quae cum ita sint, summum anaphorae sit munus coniungendi sententias et singulas sententiarum partes.

III.

Vera anaphorae natura demonstratur et illustratur exemplis e Vergilii et Ovidii carminibus depromptis.

Quoniam nonnullis argumentis confirmavimus in anaphora esse vim copulativam, proximum est, ut demonstremus haud raro veram anaphoram ab ea quae specie tantum est non facile posse secerni. Quam ob rem de hac re diffusius disputemus. Ac primum quidem praemonendum esse puto in hac tractatione non agi nisi de vera anaphora neque respici anaphorae affines figuras. Itaque repetitionibus anaphorae similibus velut: modo — modo,

---

[1]) De bell. Gall. VII. 32.

partim — partim, alter — alter, alius — alius, pars — pars, quae vim habent correlativam, locum non dabimus. Deinde repetitiones earum particularum, quae modo anaphoram efficiunt, modo vim correlativam habent, non respicientur, nisi quid ad anaphoram revera pertinebunt. Quod ut facilius intellegatur, hisce exemplis utar. Vim correlativam habent repetitiones:

Verg. Georg. I 334:

N u n c nemora ingenti vento, n u n c litora tangunt.

Anaphorae autem vis est in versu:

Georg. I 386:

Nunc caput obiectare fretis, **nunc** currere in undas
Et studio incassum videas gestire lavandi.

Vel Verg. Aen. III 566:

I a m mare turbari trabibus saevasque videbis
Conlucere faces, i a m fervere litora flammis.

Ovid. Metam. XII 71:

Et **iam** Sigea rubebant
Litora, **iam** leto proles Neptunia Cycnos
Mille viros dederat, **iam** curru instabat Achilles.

Vel Verg. Aen. VIII 473:

h i n c Tusco claudimur amni,
H i n c Rutulus premit et murum circumsonat armis.

Verg. Aen. III 111:

Hinc mater cultrix Cybelae Corybanthiaque aera
Idaeumque nemus, **hinc** fida silentia sacris.

Vel Verg. Aen. VII 712:

Q u i Nomentum urbem, q u i Rosea rura Velini,
Q u i Tetricae horrentes rupes montemque Severum
Casperiamque colunt.

Verg. Aen. III 253:

Troiugena, interpres divum, **qui** numina Phoebi,
Qui tripodes, Clarii laurus, **qui** sidera sentis.

Quibus ex exemplis intellegitur illud primum specie tantum, illud autem secundum veram esse anaphoram. Nota

autem, qua illud primum exemplum ab altero differt, in secunda voce repetitionum conspicitur. Nam si illa secunda vox idem significat ac prior, anaphora est, si minus, correlatio. Qua in re non a proposito esse arbitror commemorare non nunquam alia quoque ratione repetitionem anaphorae simillimam effici. Velut saepe, qui digito aliquid monstrat, quamquam idem verbum repetit, aliud significat. Exempli gratia illud Vergilii in sexto Aeneidos libro (836) affero:

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum caesis insignis Achivis.
Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas.

Iam nonullos locos attuli, in quibus vera anaphora ab ea, quae specie tantum est, nullo negotio internoscitur. Non raro autem in oratione deprehenditur forma, quae, quod vox repetita omni ex parte cum antecedente congruit, facillime cum anaphora confundatur; sed vera anaphora aliam etiam notam discriminis habet. Est enim proprium huius figurae eadem sententiarum genera inchoare velut:

Ov. am. III 419:

Centum fronte occulos, centum cervice gerebat.

Vel Ov. De art. am. II 291:

Si poenam servo, si vincula saeva remittis.

Sententias autem huiusce modi si legimus, non sentimus anaphoram:

Ov. de art. am. II 300:

Gausapa si sumit, gausapa sumpta proba.

Omissis igitur locis qui specie tantum anaphoram continent ad eam venimus, quae vere mihi dicitur anaphora. Sed etiam hic nonulla genera ab hac tractatione excludentur, velut ea anaphora, quae efficitur, cum saepius verba eodem sensu non autem eadem forma resumuntur. Exempli gratia affero illud:

Verg. Aen. XI 715:

Vane Ligus frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrios temptasti lubricus artes.

Item non respicientur loci eiusmodi

Verg. Aen. VII 246:

H o c pater Anchises auro libavit ad aras,
H o c Priami gestamen erat.

Illius denique χιασμῷ contrariae anaphorae item mentio non fiet, ut eat antum sit reliqua, cuius primum et secundum et omnia sequentia membra plane inter se congruunt. Quae tamen in Vergilii et Ovidii carminibus, quae in exemplum adhibemus, tantopere abundat, ut longissima exemplorum series remaneat. Haec autem exempla quam angustissimis finibus circumscribere maxime nostra interest. Quapropter perscrutabimur:

A. Quaenam verba inprimis anaphoram efficiant,

B. utrum vocabula anaphorae lege repetita saepius gravi an levi ictu legantur,

C. utrum verum sit illud Birtii de anaphora iudicium an falsum,

D. quoties anaphora coniunctionibus abundans deprehendatur.

A. Quaenam verba in primis anaphoram efficiant.

In verbis, quibus anaphora efficitur, id praecipue elucet, quod illa genera, quae grammatici nomina, verba, particulas appellant, non pariter frequentia exstant, sed sunt, quae ceteris numero plane antecellant. Quod non tam mirum esset, si in unum tantum scriptorem valeret, sed apud omnes eadem genera video esse praedilecta. Itaque haec quaestio a tractatione minime sit aliena. Anaphora autem e verbis ea, quae dignitate principem locum obtinent, plerumque repudiat, sed quae deteriora putantur, ea libentissime arripit. Qua in re etiamsi iam pridem viri docti offenderunt, tamen ei non multum tribuerunt. Velut Ioannes Straubius in libro qui est de tropis et figuris apud Demo-

thenem et Ciceronem, ubi de anaphora agit, [1]) sic iudicat: ‚Verborum autem, quae repetuntur nomina maximeque propria rarissima, pronomina autem et quaedam coniunctiones et particulae creberrimae in hac ratione esse videntur.‘ Peropportune accidit, quod non solum apud Demosthenem et Ciceronem sic esse animadvertimus sed etiam in carminibus Vergilii et Ovidii. Quapropter non falso contenderis illud tertium vocabulorum genus a grammaticis generali nomine particularum appellatum anaphorae maxime favere, nomina eis non multum cedere, verba autem illarum numerum perraro adaequare. Sunt autem, ut ex tabellis, quas interpono, intellegitur, verba plerumque quincuplo fere rariora quam particulae.

Tabella.

	Anaphorae quae efficiuntur		
	Nominibus	Verbis	Particulis
Verg. Aen. lib I.	9 tot.	421 miratur.	16 hic.
	78 tu.	461 sunt.	94 O.
	108 tres.	709 mirantur.	99 ubi.
	121 qua		120 iam.
	200 vos.		198 O.
	222 fortemque.		204 per.
	231 quid.		234 hinc.
	236 qui.		298 ut-utque.
	315 virginis.		327 O.
	450 hoc primum.		329 an.
	565 quis.		453 dum.
	612 fortemque.		486 ut.
	634 centum.		494 dum.
	664 nate.		513 simul.
	717 haec.		537 perque.
			546 si.
			603 si qua - si quid.
			607 dum.
			631/2 simul.
			697/99 iam.
			743 unde.
			750 super.

[1]) p. 112.

	Anaphorae quae efficiuntur		
	Nominibus	Verbis	Particulis
Verg. Aen lib. IV.	28 ille. 65 heu quid. 182 tot-tot-totidem. 199 centum. 212 cui-cuique 345 Italiam. 351/54 me. 351/52 quotiens. 390 multa. 526 quaeque. 548 tu. 598 quem. 675 hoc. 690 ter.		15 si non 36 non 86 non. 254 circum. 307 necte. 311/12 si. 320/21 propter 327 si qua. 336 dum. 339 num. 376/77 nunc. 413 iterum. 466 semper. 550/52 non. 600 non. 671 perque.
Verg. Georg. III.	10/12 primus. 52 cui. 89 talis. 264/65 quid. 410 canibus. 480 omne. 525 quid.	420 cape.	69/70 semper. 103/05 cum. 140/41 non. 165 dum. 189 etiam. 201 simul. 248 tum. 269 trans. 294 nunc. 325 dum. 356 semper. 358 nec cum. 371 non. 409/11 saepe. 428 dum. 520 non. 526/27 non.
Verg. Buc. II.	32/33 Pan. 45/46 tibi.	63/64 sequitur	6/7 nihil. 8/9 nunc. 14/15 nonne. 16 quamvis. 20 quam. 22 non.
Verg. Buc. IX.	19 quis. 23/24 Tityre 48 quo.		1 quo. 17 heu. 30/31 sic.

	Anaphorae quae efficiuntur.		
	Nominibus	Verbis	Particulis.
Verg. Buc. IX.			40 hic. 61/62 hic.
Ovid. Heroid. VII.	7/9 certus. 15 quis. 17/18 altera. 37/38 te. 77 quid. 156 hic.		88 per. 153 si. 157/58 per. 177/78 pro. 179 dum.
Ovid. Ars amat. II.	5/7 talis. 12 arte. 167 pauper. 179/81 obsequio. 204 tu male. 209/10 ipse. 251/52 nec pudor. 277/78 auro. 365 nil-nihil. 366 quod. 385 hoc. 453 quem. 485 laeta. 490/91 illa. 515 quod. 595 nec vos. 668 iste. 674 hoc quoque. 735/37 quantus.	1 dicite. 28/29 da. 35 possidet. 117/18 iam venient. 256/57 porrige. 401/03 audierat. 423 sumantur. 451/52 ille ego sim. 459 da. 683/85 odi 709/11 fecit.	15/16 nunc. 175 cum. 187/89 saepe 263 dum. 291 si. 315/17 cum. 321/22 tunc-tum. 347 semper. 432 saepe. 461 cum. 513/14 semper. 583 non.
Ovid. Metamorph. VIII.	38/39 impetus. 47/48 me. 78 opus est. 79 illa. 109 praelate. 269/70 huius opem. 324 pariter.	21/23 norat. 714/15 frondere. 728/30 sunt. 794/95 accipe.	35 vix. 254/55 in 292/93 frustra. 296/97 non. 416 dum. 465/66 saepe. 499 ubi.

	Anaphorae quae efficiuntur.		
	Nominibus	Verbis	Particulis.
Ovid. Metamorph. VIII.	385/86 primus. 462/63 quater. 538 oscula dant. 628/29 mille domos. 632 illa. 759 pariter. 830 quod.		558/59 dum. 698 dum-dumque. 718 simul. 735 saepe. 746/47 saepe 789 sine. 811 quamquam. 835/37 utque. 857 sic.
Ovid. Trist. II.	5/7 carmina fecerunt. 37/38 iure. 131/32 nec mea. 147/48 spes mihi cum. 175/76 dimidio. 270 quaeque. 363/65 quid. 371/73 quid. 397/99 quid. 401/03 quid. 415/17/18 nec qui. 433 quid. 441 nec minus. 476 quo 567 tot	65/66 invenies. 141/42 solet. 179/81 parce. 359 esset.	53/54 per. 103/04 cur. 155/57 per. 202/03 ne. 299 in. 313/14 cur. 317/19 cur. 405/06 huc. 574 O.

B) Utrum vocabula anaphorae lege repetita saepius gravi an levi ictu legantur.

Alia lex atque modo commemorata in anaphoris observatur. Neque enim omnes anaphorae eodem ictu leguntur, sed sunt, quae minus ad aures penetrent et quae acriter atque graviter sonent. Quod subtilius perquiri maxime operae pretium est. Nam si nonnullae gravi sunt ictu, easdem esse etiam magni momenti consentaneum est, et si quae vix percipiuntur minimum eis esse tribuendum per se ipsum patet Quam ob rem omnes apud Vergilium et Ovidium anaphoras ita ponderavi, ut viderem, utrum in anaphora voces levi pondere sint crebriores an gravi pronuntiatae.

Qua in re, ut ex illa priore inquisitione divinare poteram, saepissime deprehendebatur ea anaphora, quam brevitatis causa levem dico. ‚Anaphoram‘ autem subinde brevitatis causa nominabo ipsa vocabula bis vel ter posita.

Differt autem anaphora levis ab illa gravi eo, quod non in contraposito vim accipit. At anaphora gravis, tametsi vox contraria non semper adest, plerumque illam condicionem habet. Interdum accidit, ut anaphora, etiamsi non ulli verbo est contraria, graviter pronuntietur, velut si cum figura conduplicationis apparet coniuncta. Illa enim figura semper gravi ictu praedita efficit, ut etiam anaphora gravius sonet. Quod attinet ad illud primum: anaphoram esse gravem, si alii verbo est contraposita, liceat mihi, antequam exempla afferam, pauca praemonere. Nam quem fugit plerumque anaphoras, si numerabilibus efficiuntur, esse graves? Quis autem ignoret, si quid certis numeris definitur, reliquos omnes esse exclusos? Non aliter res se habet in quibusdam pronominibus. Quis enim exempli gratia, si dicit aliquem ipsum fecisse aliquid non excludit alios? Itaque facile cognoscitur non necessario illud anaphorae verbum contrapositum semper esse nominatum, sed saepissime esse cogitandum. Iam nonnullis exemplis rem explicabo. Anaphora gravis est:

Verg. Buc. II 32.

P a n primus calamos cera coniungere plures
Instituit, P a n curat oves oviumque magistros.

Vel illud Vergilii in Buc. V 29.

D a p h n i s et Armenias curru subiungere tigres
Instituit, D a p h n i s thiasos inducere Baccho.

Quibus in versibus sensus latet: Pan fecit et Daphnis, non autem alius. Ita non rem esse in anaphora levi ex sequenti cognosces exemplo:

Ov. Am. I XV 29.

‚G a l l u s et Hesperiis et G a l l u s notus Eois,‘ ubi non anaphora sed alia membra enuntiati contrarie sunt posita.

Anaphora autem in contraposito vim accipere optime illis Vergilii in Bucolicis versibus illustratur: (Buc. I 1):

Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui musam meditaris avena,
Nos patriae fines et dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Scilicet alterum illud ‚nos' vim non haberet, nisi sequeretur ‚tu'.

Porro anaphora gravis nonnunquam etiam ex eo cognoscitur, quod cum voce ‚quoque' coniuncta est. Velut:

Am. II I 1.

Hoc quoque composui Paelignis natus aquosis,
Ille ego nequitiae Naso poeta meae.
Hoc quoque iussit Amor,

ubi sensus: Hoc quoque praeter multa alia composui. Vel illud Ovidii (Am. III III 42):

Di quoque habent oculos, di quoque pectus habent,

ubi cogitandum est: ‚non solum homines'.

In anaphoris, quae numerabilibus efficiuntur, numeralia indefinita modo gravia videntur, modo levia. Anaphora levis quidem illa Ovidii (Am. II IX 15):

Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellae.

Anaphora autem gravis illa Vergilii in secundo libro Georgicorum (155):

Adde tot egregias urbes operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis.

Iam satis mihi ostendisse videor anaphoram gravem plerumque in contraposito vim accipere. Restat ut exempla afferam, quibus demonstretur etiam antecedente figura conduplicationis anaphorae pondus increscere. Sunt autem:

Verg. Buc. IX 60.

Incipit apparere Bianoris, hic ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic Moeri canamus.
Hic haedos depone.

Georg. IV 465.

Te, dulcis coniunx, te solo in litore secum
Te veniente die, te decedente canebat.

C) Utrum verum sit illud Birtii iudicium an falsum.

Quoniam demonstravimus verba anaphorae lege repetita plerumque particulas esse, non nomina aut verba, neque semper gravi ictu legi anaphoram sed tantum interdum, nunc exemplis illustremus, quam bene illa Birtii sententia omnibus anaphoris adaptari possit. ‚Anaphorae', inquit, ‚summum est munus, ut particularum gratiam scriptori faciat.' Quid dicit aliud nisi scriptorem pro particulis haud raro anaphoras adhibere? Poeta vero cur anaphoras repudiet, cum maxime eius commodis inserviant? Iucunditate et gravitate oratio exornatur, membra aptissime conectuntur, versus perpoliti fiunt. Nonne vidimus, cum de anaphorae vi copulativa egerimus, interdum eo confugere eum coactum esse, cum alia conexionis instrumenta deessent? Quomodo enim in enumerationibus quin legentium animos semper eadem coniunctione fatiget, eas evitet? Quomodo quasdam coniunctiones salvo metro in usum suum convertat? Et poeta non ignarus quantopere in componendis versibus anaphorae officio adiuvetur, gratia eius utitur, etiamsi minime indiget. Describit aliquid, anaphoras arcessit. Velut Vergilius Carthaginem: [1])

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo: h i c illius arma,
H i c currus fuit.

Miraris quod in descriptione Aeoliae non idem fecerit. Describit enim: [2])

Aeoliam venit. H i c vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesq u e sonoras
Imperio premit a c vinclis et carcere frenat.

Poeta igitur aut particulas aut anaphoras adhibet tanta licentia, ut vix anaphorae aut particularum causam cognoscas. Non aliter rem in narratione esse hisce exemplis illustretur. Anaphoram habes in Aeneidos libro I v. 453 et sq:

Namque sub ingenti lustrat d u m singula templo
Reginam opperiens, d u m quae fortuna sit urbi
Artificumque manus intra se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas;

---

[1]) Aen. I 12.

[2]) Aen. I 52.

Particulas autem in Aen. libro II v. 736 et sq:

Namque avia cursu
Dum sequor et nota excedo regione viarum
Heu! misero coniunx fato mi erepta Creusa.

Quid multa? Vides uno eodemque munere particulas et anaphoram in carminibus fungi. Accedit, ut nulla, quatenus exempla apud Vergilium et Ovidium inspexi atque ponderavi, anaphora recuset, quominus in locum eius salvo sensu versus particula respondens succedat. Id apte in anaphoris fieri minime contendimus quamquam, si qua est levis, nihil fere intererit, utrum pro anaphora coniunctionem, quae huic figurae respondet, legamus necne. Si mehercule est gravis, particula pro anaphora posita sensus quidem enuntiati non mutabitur, forma autem magnam iacturam faciet. Quam ob rem, si in proximis ponemus pro anaphora particulam, nihil aliud spectabimus, nisi ut ostendamus in anaphora esse vim particularum nec vero contendemus particulas idem valere atque anaphoram. Ac primum quidem sic esse exponamus in

a) anaphora bipertita.

Exempla anaphorarum, in quibus vis vocum ‚et, que, atque' praeclare enitet in Vergilii et Ovidii carminibus sunt plurima, loci autem eiusmodi, ut anaphora aliis coniunctionibus respondeat, rariores.

α) Anaphora pro voce ‚et (que atque)' posita:

Buc. I 3. Nos patriae fines et dulcia linquimus arva, Nos patriam fugimus.

ib. II 8. Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.

ib. 14 Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? Nonne Menalcam?

ib. 20 Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.

ib. 32 Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit, Pan curat oves oviumque magistros.

ib. 45 Huc ades, o formose puer! Tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphae calathis. Tibi candida Nais
Pallentes violas et summa papavera carpens
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi.

Buc III 42. Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.
ib. 56. Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos.
Buc. IV 6. Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam nova progenies caelo demittitur alto.
ib. 31. Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis.
Quae tentare Thetim ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant tellure infindere sulcos.
Buc. V. 16. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.
Buc. VI. 27. Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Buc. VII 47. Solstitium pecori defendite; iam venit aestas
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.
Buc. VIII 22. Maenalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet, semper pastorum ille audit amores,
Buc. IX 30. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic cytiso pastae distentent ubera vaccae.
Buc. X 13. Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricae.
ib. 48. Ah, te ne frigora laedant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Met. VI 16. Deseruere sui nymphae vineta Tymoli,
Deseruere suas nymphae Pactolides undas.
ib. 39. Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces.
269 Mirantem potuisse irascentemque, quod ausi
Hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.
430 Eumenides tenuere faces de funere raptas;
Eumenides stravere torum.
433 Hac ave coniuncti Progne Tereusque, parentes
Hac ave sunt facti.
525 Vi superat, frustra clamato saepe parente,
Saepe sorore sua.
Met. VII 154. Quae mare turbatum, quae concita flumina sistant.
189 Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem
Inroravit aquis.
208 currus quoque carmine nostro
Pallet avi; pallet nostris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, et unco
Impatiens oneris collum pressistis aratro.
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis.
228 Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis
Multa quoque Amphrysi.
255 Hinc procul Aesoniden, procul hinc iubet ire ministros.

530 Dumque quater iunctis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Letiferis calidi spirarunt flatibus austri.
697. Pater hanc mihi iunxit Erechtheus,
Hanc mihi iunxit amor.
728 Male me, quin vera faterer,
Continui; male, quin, ut oportuit, oscula ferrem,
819 Tu facis, ut silvas, ut amem loca sola.

Iam satis multis exemplis ex infinita fere serie locorum videor illustravisse in plurimis anaphoris esse vim vocis ‚et' (que, atque) vel simpliciter copulativam. Anaphorae eius modi, ut in secunda parte ‚sed etiam', in prima ‚non solum' intellegi possit, nunc afferantur.

β) Anaphora pro ‚non solum-sed etiam' posita.

Buc. V 86. Haec nos formosum Corydon ardebat Alexim,
Haec eadem docuit, cuium pecus.

Aen. I 236. Qui mare, qui terras omni dicione tenerent.

Aen. I 709. Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum.

II 560. Obstipui; subiit cani genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem, subiit deserta Creusa

III 156. Nos te Dardania incensa tua qui arma secuti
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor.
ib. 408 Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto!

IV 345. Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.

V 49. Iamque dies, nisi fallor adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum — sic di voluistis —, habebo.

VII 337. tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

VIII 434. Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes.

X 81. Tu potes Aeneam manibus subducere Graium
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes
Et potes in totidem classes convertere nymphas.

Ars am. II 204. Tu male iactato, tu male iacta dato.
ib. III 163. Femina canitiem Germanis inficit herbis
Et melior vero quaeritur arte color;
Femina procedit densissima crinibus emptis
Proque suis alios efficit aere suos.

Met. I 111. Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

II. 806. Cecropis (sc. dolore) occulto mordetur, et anxia nocte,
Anxia luce gemit.

IV 626. Saepe sub occasus, saepe est allatus in ortus.

V 445. Solis ad occasum, solis quaerebat ab ortu.

IX 547. Tu servare potes, tu perdere solus amantem.

XII 526. Quae mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum.

XIII. 85. Hunc ego sanguineae successu caedis ovantem
Eminus ingenti resupinum pondere fudi:
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus
Sustinui;

Ib. 785. Senserunt toti pastoria sibila montes,
Senserunt undae.

XV 192. Ipse dei clipeus terra cum tollitur ima
Mane rubet terraque rubet cum tollitur ima.

Fast. II 235. Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.
Ad bellum missos perdidit una dies.

Trist. V 9, 7. Te praesens mitem, te nosset serior aetas

Ex Ponto III 4, 111. Et quae praeterea virtus invicta tuorum
Saepe parata tibi, saepe paranda facit.

In libr. Ib. 180. Semper eget, liquidis semper abundat aquis.

In exemplis modo commemoratis sensus enuntiati idem remanet, si ad primum membrum ‚non solum' additur, pro secundo autem ‚sed etiam' ponitur. Sequitur, ut locos afferam, in quibus secundum anaphorae membrum voculae ‚nec' respondet. In omnibus autem exemplis comparet sollemnis repetitio non.

γ) Anaphora pro ‚nec' posita:

Aen. I 168. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.

Aen. IV 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit,
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset

Aen. IV 35. Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Lybiae, non ante Tyro; despectus Iarbas.

Am. I VI 13. Nec mora, venit amor; non umbras nocte volantis,
Non timeo strictas in mea fata manus.

Am. I XIV 15. Non acus abrupit, non vallum pectinis illos.

Met. III 437. Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahere inde potest.

ib. 584. Non mihi, quae duri colerent, pater, arva iuvenci,
Lanigerosve greges, non ulla armenta reliquit.

Fast. IV 496. Non homini regio, non adeunda ferae.

Haud raro anaphora locum earum coniunctionum obtinet, quae vocantur disiunctivae.

δ) Anaphora pro ‚aut' (vel) posita:

Aen. I 231. Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere, quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?

Aen. I 565. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem?

Aen. II 69. Heu, quae me tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere?

Aen. VII 225. Audiit et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

Am I VII 19. Quis mihi non ‚demens', quis non mihi ‚barbare' dixit?

Am. I XIV 35. Quid male dispositos quereris periisse capillos?
Quid speculum maesta ponis inepta manu?

Am. II XIV 33. Dicite quis Tereus, quis vos irritet Iaso?

Am. III VII 27. Num mea Thessalico languent devota veneno
Corpora? num misero carmen et herba nocent?

Her. XVI [XVII] 228. Unde petam fratres, unde parentis opem?

Ars am. II 366. Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.

Met. VII 32. Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.

Rem. am. 193. Ipse potes riguis plantam deponere in hortis,
Ipse potes rivos ducere lenis aquae.

Iam satis multis exemplis mihi videor ostendisse sub anaphora non raro coniunctionem disiunctivam latere. Adgrediamur ad anaphoras vi earum coniunctionum exstructas, quae appellantur adversativae, ut ‚sed' ‚at,' ‚autem'. Plerumque poeta secundo anaphorae membro has particulas addit; sunt autem loci, ubi desint.

ε) Anaphora pro ‚sed' (at, autem) posita:

Georg. I 281. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum.
Ter pater exstructos disiecit fulmine montes.

Aen. VI 32. Bis conatus erat casus effingere in auro,
Bis patriae cecidere manus.

ib. 700. Ter conatus ibi collo dare bracchia circum
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

Aen. X 507. O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert.

Aen. XII 95. Vociferans: Nunc o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit.

Am. I X 43. Gratia pro rebus merito debetur inemptis,
Pro male conducto gratia nulla toro.

Am. III VI 69. Ter molita fugam, ter ad altas restitit undas.

Her. IV 7. Ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit
Lingua.

Her. VI 111. Vir meus hinc ieras, vir non meus inde redisti.

Her. XI 15. Imperat heu! ventis, tumidae non imperat irae.

Her. XIII 11. Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.

Trist. IV 37, 62. Non debet dolor hinc, debet abesse pudor.

Ex Pont. I 3, 37. Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?

Exempla eius modi, ut secundum anaphorae membrum idem valeat ac vocula ‚tamen' non fere inveniuntur. Accedit enim haec vocula plerumque ad secundum membrum, ut non iam anaphoram esse dicas. Velut:

Met. IX 260. Cetera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tulisse Jovis.

Aen. II 183. Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis caeloque educere iussit.

Restant nonnulla exempla, e quibus anaphoram pro ‚nam, enim' positam esse appareat:

ζ) Anaphora pro ‚nam' (enim) posita.

Aen. V 637. Ardentes dare visa faces: hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis.

Aen. X 849. Heu, nunc misero mihi demum
Exitium infelix! Nunc alte vulnus adactum.

ib. 858. Equum duci iubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat, bellis hoc victor abibat
Omnibus.

Buc. II 32. Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit; Pan curat oves oviumque magistros.

Buc. VI 25. Carmina quae vultis cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit.

Buc. VII 47. Iam venit aestas
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

Georg. I 289. Nocte arida prata
Tondentur; noctes lentus non deficit umor.

Georg. III 164. Iam vitulos hortare viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.

Georg. III 356. Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri
Tum sol pallentes haud unquam discutit umbras.

Ars. am. II 490. Illa feri requiem sola doloris habent,
Illa Machaonios superant medicamina sucos.

Met. I 510. Aspera, qua properas, loca sunt. Moderatius, oro,
Curre fugamque inhibe. Moderatius insequar ipse.

Met. VI 32. Cede deae veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.

Met. XV 232. Est lacus Arcadiae, Pheneum dixere priores,
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto:
Nocte nocent potae.

Fast. I. 151. Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas

Fast. II. 534. Parvaque in exstructas munera ferte pyras.
Parva petunt manes.

Trist. IV 2, 59: Illa per immensas spatiatur libera terras,
In caelum celeri pervenit illa via.
Illa meos oculos mediam deducit in urbem
Immunis tanti non sinit esse boni.

Sed non solum pro coniunctionibus causalibus anaphorae inveniuntur, verum etiam pro eis, quae conclusivae vocantur.

η) Anaphora pro ‚igitur' (ergo) posita.

Buc. X 43. Hic nemus, hic ipso tecum consumerer aevo.
Georg. II 222. Illa ferax oleae est, illam experiere colendo.

Aen. IV 28. Ille meos, primus qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum servetque sepulcro.

Ars am. II 668. Iste feret segetes, iste serendus ager.
Rem. am. 579. Quisquis amas, loca sola nocent, loca sola caveto!

Locos denique afferam, in quibus anaphora loco vocularum ,ut — ita' adhibita est.

ϑ) Anaphora pro ,ut—ita' posita.

Georg. I 463. Solem quis dicere falsum audeat?
Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam.

Aen. II 116. Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras.
Sanguine quaerendi reditus.

Aen. VII 335. Tu potes unanimos armare in proelia fratres
Atque odiis versare domos, tu verbera tectis
Funereasque inferre faces.

Am. I IX 4. Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Ars am. II 179. Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus,
Frangis si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquae.

Ars am. III 63. Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda,
Nec quae praeteriit, hora redire potest.

Rem. 369. Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Iovis.

Met. IX 430. Fatis Iolaus in annos,
Quos egit, rediit; fatis virescere debent
Callirrhoë geniti, non ambitione nec armis.

Quoniam demonstravimus anaphoram bipertitam in munere fungendo facile particulis cedere posse, id ita esse in anaphora multipartita inquiramus. Sed antea nonnulla alia memoria digna tractentur. Birtius enim anaphorae bipertitae, quae particula abundat, hanc habet legem: Voculam copulativam (et, que, atque) censet ne abundare quidem in iis exemplis, ubi verbum aliquod bis ponatur,

nullo alio interposito, quale est illud ‚iam iamque' et his similia. Velut:

Met. XV 183. Tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur.
Met. III 580. Ede tuum nomen nomenque parentum.
Met. I 642. At illa patrem sequitur sequiturque sorores.
Met. VIII 292. Area frustra
Et frustra exspectant promissas horrea messes.
Met. VI 193. Sum felix (quis enim neget hoc) felixque manebo.
Met. X 108. Qui citharam nervis et nervis temperat arcum.
Met. XII 614. armarat deus idem idemque cremarat.
Aen. VIII 649. indignanti similem similemque minanti.
(De Halieuticis, p. 61 et 62).

Dicit igitur vir doctissimus ad vocabulorum geminationem talem, qualem descripsit, copulam et vel que aptissime accedere. Quod ita esse nunc etiam pluribus ex Vergilio et Ovidio depromptis demonstrabo versibus.

Aen. V 9. Occurrit tellus, maria undique et undique caelum,
Aen. X 756. Caedebant pariter pariterque ruebant.
Am. III 4, 40. Romulus Iliades Iliadesque Remus.
Heroid. VIII 63. Has habeo semper semperque profundo,
Ib. 71. Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci.
Fast. III 824. Sit Tychio doctior ille licet
Et licet antiquo manibus conlatus Epeo.
Fast. V 179. Mater Hyan et Hyan maestae flevere sorores.
Ex Pont. II 3, 87. Inter confessum dubie dubieque negantem,
Ex P. IV 16, 25. Trinacriusque suae Perseidos auctor et auctor
Tantalidae reducis Tyndaridosque Lupus.

Neque tamen colligi oportet tali anaphorae semper copulam adhaerere. Birtii enim haec est suprema lex: ‚Summum munus est anaphorae, ut particularum gratiam scriptori faciat.' Quare in omni anaphora primum diiudicandum est, quaenam sit condicio enuntiati et quae particula sub altero anaphorae membro lateat. Quod si factum erit et cognitum eam esse anaphoram, cuius alterum membrum copulae respondeat, tunc demum illud Birtii utrum verum sit an falsum, inquiratur. Nam vocem ‚que' vel ‚et' apte ad alterum membrum adseri non posse, si exempli

gratia pro particula causali est positum, per se ipsum patet. Velut:

Met. VII 830. Quod nihil est metuit, metuit sine corpore nomen,

aut pro particula ‚at', ‚autem', ut:

Met. VII 799. Coniuge eram felix, felix erat illa marito.

Aut pro ‚ut — ita', velut:

Ep. XX 21, 123. Cydippen pomum, pomum Schoeneida cepit.

Aut pro ‚non solum — sed etiam', ut:

Met. VII 445. Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda.

Amor. II 19, 5. Speremus pariter, pariter metuamus amantes.

Rem. am. 807. Nutritur vento. vento restringitur ignis.

Aut denique, cum aliae iam exstant particulae, velut:

Met. V 483. Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber.

Plane enim erat alienum ab eo, quod Birtius ostendere in Halieuticis sibi proposuerat, respicere locos, ubi secundum anaphorae membrum copulae non responderet. Copulam (et, que) autem concessam esse in tali anaphora vel, ut ait Birtius, ne abundare quidem nemo dissentiat, qui omnes apud Vergilium et Ovidium anaphoras bipertitas collegerit. Nam cum anaphorae, quarum membra longiore intervallo sunt disiuncta, copula plerumque careant, in tali anaphora tam crebro vox ‚et' vel ‚que' deprehenditur, ut vix quisquam plures locos afferre queat, ubi deest, quam ubi exstat copula. Locorum enim copula carentium et copula abundantium par fere est numerus. Loci copula carentes sunt hi:

Georg. IV 341. Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,
Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,

Aen. VII 337 tibi nomina mille, Mille nocendi artes,

Aen. VIII 104. Pallas huic filius una,
Una omnes iuvenum primi pauperque senatus
Tura dabant.

Aen. VIII 545. Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus,

Met. III 306. Saevitiae flammaeque minus, minus addidit irae,

Ib. V 567. Cum matre est totidem, totidem cum coniuge menses,

Ib. VIII 718. ‚O coniunx', dixere simul, simul abdita texit
Ora frutex.

Ib. X 521. qui conditus arbore nuper,
Nuper erat genitus.

Ib. XI 141. Subde caput corpusque simul, simul elue crimen,
Ib. XI 305. Videre hanc pariter, pariter traxere colorem,
Ib. XII 418. Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant,
Ib. XV 629. Temptamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Am. II 4, 39. Candida me capiet, capiet me flava puella,
Am. III 1, 17. Nequitiam vinosa tuam convivia narrant,
Narrant in multas conpita secta vias.

Am. III 9, 1. Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Ep. XV (XVI) 354. Illa viris dives, dives abundat equis.
Trist. IV 1, 13. Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis.

Qua in re non intermittam ostendere e tali repetitione, qualem modo tractavi, optime intellegi, quam verum sit illud Birtii anaphorae muneris iudicium et quid sit quo anaphora a ceteris repetitionis figuris differat. Nam talis anaphora nonnullis repetitionis figuris est simillima, ut si quis figurae speciem tantum, non autem sensum respiciat, nullam omnino notam discriminis habeat. Quomodo enim sensu neglecto differre dices exempla haec:

Ep. XV 347. Te quoque qui rapuit, rapuit Minoida Theseus.
Ep. VII 103. Nulla mora est, venio, venio tibi dedita coniunx.
Fast. I 361. Culpa sui nocuit, nocuit quoque culpa capellae.

Quis autem ignorat in primo illo exemplo propter sententias inaequales omnino non esse ullam figuram, illud secundum ad premendam vocem ‚venio' iterationem continens esse conduplicationem, in tertio coniungendi easdem sententiae partes causa vocem ‚nocuit' esse repetitam? Sed haec hactenus. Anaphorae tripertitae vel etiam pluribus membris compositae fiat mentio.

b) Anaphora multipartita.

Anaphora multipartita varias illas anaphorae bipertitae condiciones non excludit, ad perpaucas tamen, ne dicam unam, tantopere inclinat, ut aegre in secundo vel tertio

anaphorae membro ea condicio inveniatur, quae copulae non respondeat. Exempli gratia nonnullos locos affero:

Georg. I 289. Nocte leves stipulae melius, nocte arida prata
Tondentur; noctes lentus non deficit umor.

Quo in exemplo secundum anaphorae membrum respondet copulae ,et', tertium particulae ,nam'. Non aliter res se habet in Vergilii:

Aen. X 858. Equum duci iubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat, bellis hoc victor abibat omnibus.

Quos locos modo commemoravi, tales erant, ut illis primis anaphorae membris res aliquae inducerentur, tertio harum rerum causa. Affero nunc locum, ubi primum aliquam rem continet, alterum membrum et tertium causas.

Heroid. XII 202. Dos mea, quam, dicam si tibi ,redde', neges.
Dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus.

Plerumque igitur anaphora multipartita reduci potest ad anaphoram bipertitam. Bina enim anaphorae membra vel etiam plura persaepe unam habent condicionem, quae copula ,et' complecti licet, ut altera tantum reliqua sit condicio. Iam nonnullis exemplis rem illustrabo:

Heroid. VI 47. Quid mihi cum Minyis, quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita Tiphy mea?

II membrum = et, III = autem.

Ars am. I 3 Arte citae veloque rates remoque moventur,
Arte leves currus: arte regendus amor.

I = ut arte, II = et, III = ita.

Am. II 12, 19. Femina silvestris Lapithas populumque biformem
Turpiter adposito vertit in arma mero.
Femina Troianos iterum nova bella movere
Impulit in regno, iuste Latine, tuo.
Femina Romanis etiamnunc urbe recenti
Inmisit soceros armaque saeva dedit.

I = Ut femina, II = et, III = ita.

Restat ut locos afferam, ubi sub singulis anaphorae membris singularis latet condicio. Loci eius modi perraro occurrunt, velut:

Ars am. I 363. Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis
Militibus gravidum laeta recepit equum.
Tum quoque temptanda est, cum paelice laesa dolebit;
Tum facies opera, ne sit inulta, tua.

Sensus enim est: Ut tum . . . ., sic quoque temptanda; nam facies . . . Quomodo denique res se habeat in anaphora pluribus quam tribus membris composita, illustretur hoc exemplo:

Ars am. I 409. Differ opus! Tunc tristis hiemps, tunc Pliades instant,
Tunc tener aequorea mergitur Haedus aqua.
Tunc bene desinitur; tunc si quis creditur alto,
Vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.

Sensus est: Tunc tristis hiemps et Pliades instant et tener aequorea mergitur Haedus aqua. Quare (ideo) bene desinitur. Nam si quis creditur alto, vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.

Ceterum in anaphora multipartita variae illae condiciones plerumque desunt, ut non falso contendas: Quo quaeque anaphora est brevior, eo plures pro anaphora particulae poni possunt, quo autem pluribus membris componitur, eo magis vox ‚et' vel ‚que' sub ea latet. Iam summam subducamus. Birtii iudicium, qui dicit anaphoram munere fungi particularum, plane est verum, sive anaphoram bipertitam sive multipartitam respicis. Quod de anaphora, quae copulae, respondet, disputavit (quando ipsa copula abundans apte ad anaphorae alterum membrum accedat), in dubium vocari non potest.

D) Quoties anaphora coniunctionibus abundans deprehendatur.

Anaphorae multipartitae tertium et sequentia membra plerumque aliis particulis non respondere nisi voculae ‚et' (que) modo demonstravimus. Reliquum est, ut doceamus hanc copulam saepissime et mira quadam licentia abundantem ad singula anaphorae membra accedere. Quam etiam in anaphora bipertita solam admissam esse particulam, quamvis haec, ut vidimus, tam multas condici-

ones habeat, mirum est. Cuius rei quae sit causa statuere non conamur. Non autem falsa sit opinio, si in eo causam quaerimus, quod particulae ,et' (que) eam vim et virtutem innatam esse cernimus, qua reliquae particulae carent. Quis enim novit locos, ubi voces ,nam, ,igitur', autem' aliaeque bis ter quaterve in una sententia resumantur? At locos, in quibus voces ,que' (et) vel decies repetuntur, non solum apud poetas et oratores, verum etiam in philosophorum et historicorum libris saepe deprehendas. Porro figura, quod vocatur polysyndeton, quid est aliud nisi cumulatio copulae? Figuras autem aliis particulis compositas, quis unquam excogitavit? Quare non offendat, quod haec vocula in anaphoris particula abundantibus una fere et sola occurrit.

Ceterum anaphora, quamvis sit bipertita alia particula quam copula abundans, mea quidem sententia non iam sentitur anaphora. Exempli gratia nonnullos locos enumerabo.

Am. II 14, 31. Utraque saeva parens: sed tristibus utraque causis.

Georg. III 69. Semper erunt quarum mutari corpora malis,
Semper enim refice.

Met. IX. 497. Di melius! — di nempe suas habuere sorores.

Trist. V 1, 5. Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen.

Am. III 6, 63. Tu centum aut plures inter dominabere nymphas:
Nam centum aut plures flumina nostra tenent.

Hi fere sunt versus, ubi particulae ,nam, sed, enim, nempe, ut—ita' cum anaphora abundanter coniunctae apparent. Sed puto non omnes probare, si eiusmodi repetitiones anaphoras appello. Copula vero si anaphora abundat, nemo anaphoram veram esse neget. Tales autem anaphorae, quam saepe in Vergilii et Ovidii carminibus exstant! Et poetae quam magna licentia utuntur copula abundanti! Aut omnibus enim anaphorae membris adseritur, aut uno vel pluribus, modo est singulis membris anteposita, modo sequens, modo in quibusdam membris omissa, ut breviter dicam: nulla fere copulae positio excogitari potest, quae a poeta

sit repudiata. Ac primum quidem hanc varietatem videamus in

Anaphora bipertita.

A) Vox ‚et'.

I Vocula ‚et' antecedens priori membro.

Loci eius modi ad anaphoram copula abundantem pertinere non videntur. Nam cum primum anaphorae membrum sententias coniungere non possit, si qua iunctura est necessaria, copula sola restat. Quare eiusmodi exempla afferre supervacaneum esse puto.

II Vox ‚et' primo anaphorae membro postposita.

Locos eius modi in anaphoris copula abundantibus numerari item non licet, quod primo anaphorae membro omnis vis copulativa deest. Sed quod vox ‚et' tali positione plerumque ita virtutibus amplificatur, ut par sit voculae ‚etiam' exempla eiusmodi non praetermittam.

a) apud Vergilium:

Aen. VII 516. Audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis,
Buc. IV 6. Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,

b) apud Ovidium:

Met. I 54. Illic et nebulas, illic consistere nubes Iussit.
Met. II 248. Arsit et Euphrates Babylonius, arsit Orontes.
Met. V 144. Occidit et Celadon Mendesius. Occidit Astreus.
Met. VI 108. Fecit et Asterien aquila luctante teneri,
Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.
Fast. VI 223. monstratur Iunius . . . Utilis et nuptis, utilis esse viris.

III Vox ‚et' secundo membro anteposita.

Quae anaphora cum a sermone vulgari plerumque non facile distinguatur, pauca praemoneam. Semper quaerendum est, utrum vox repetita sola ad conectendas sententias sufficiat necne. Vox repetita autem sola idonea est ad conectendum, si membra coniungenda plane sunt paria, velut:

Ov. Met. IX 717. Par aetas, par forma fuit.

Non ita esse ex sequentibus cognosces exemplis:

Buc. IX 48. Astrum quo segetes gauderent frugibus et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

Georg. I 234. Semper sole rubens et torrida semper ab igni.

Aen. VIII 271. Hanc aram luco statuit, quae maxima semper
Dicetur nobis et erit quae maxima semper.

Aen. X 350. Tres quoque Threicios Boreae de gente suprema
Et tres, quos Idas pater et patria Ismara mittit.

Georg. II 536. Ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante
Impia quam caesis gens est epulata iuvencis,

Georg. III 133. Cum graviter tunsis gemit area frugibus et cum
Surgentem ad zephyrum paleae iactantur inanes.

Georg. III 427. Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum
Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris.

Am. I 2, 11. Vidi ego iactatas mota face crescere flammas
Et vidi nullo concutiente mori.

Met. II 722. Quanto splendidior quam cetera sidera fulget
Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe.

Fast. IV 763. Valeant hominesque gregesque
Et valeant vigiles, provida turba, canes.

Fast. V 267. Flore semel laeso pereunt viciaeque fabaeque.
Et pereunt lentes, advena Nile, tuae.

Inaequalitas igitur membrorum coniungendorum, quaecumque est, non raro firmiore eget iunctura. Quare huiusce modi loci in anaphoris copula abundantibus non numerantur. Quae vero anaphorae revera copula abundant, eae non omnia verborum genera continent, sed tantum coniunctiones, praepositiones, adiectiva vel genitivos nominum, relativa, particulas.

a) Loci eiusmodi apud Vergilium:

Georg. IV 559. Haec super arvorum cultu pecorumque canebam
Et super arboribus.

Aen. I 699. Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
Conveniunt.

Aen. I 315. Virginis os habitumque gerens et virginis arma.

Aen. II 337. In flammas et in arma feror.

Aen. IV 390. Linquens multa metu cunctantem et multa volentem.

Aen. X 503. Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta et cum spolia ista diemque Oderit.

Aen. XI 57. Ei mihi, quantum
Praesidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!

Aen. XII 677. Quo deus et quo dura vocat fortuna, sequamur.

b) apud Ovidium:

Met. V 462. Quas dea per terras et quas erraverit undas,
Dicere longa mora est.

Met. VIII 385. Primus vidisse putatur
Et primus sociis visum ostendisse cruorem.
Fast. VI 539. Vix illam subito posses cognoscere; tanto
Sanctior et tanto, quam modo, maior erat.

Quae quidem anaphora multo saepius apud Vergilium quam apud Ovidium reperitur. Est autem minime elegans, quia sermonis vulgaris est propria. Fit tamen elegans illa positione, de qua iam disputavimus in antecedente capite extremo.[1])

IV Vox ,et' secundo membro postposita:

Tali positione plerumque vox ,et' par fit particulae ,etiam', ut ex hisce elucet exemplis.

a) apud Vergilium:

Georg. II 91. Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae,
Aen. VI 580. Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo volvontur in imo
Hic et Aloidas geminos immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere caelum
Adgressi superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas;
Aen. X 804. omnis campis diffugit arator
Omnis et agricola et tuta latet arte viator.

b) apud Ovidium:

Am. I 15, 9. Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
Dum rapidas Simois in mare volvet aquas;
Vivet et Ascraeus.
Ib. 33. Cedant carminibns reges regumque triumphi
Cedat et auriferi ripa benigna Tagi!
Her. I 63. Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva
Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten,
Ep. XIX 101. Testis erit Calydonis aper sic saevus, ut illo
Vix magis in natum saeva reperta parens.
Testis et Actaeon,
Med. f. 3. Cultus humum sterilem Cerealia pendere iussit
Munera: mordaces interiere rubi;
Cultus et in pomis sucos emendat acerbos.
Ars am. I 723. Candidus in nauta turpis color: aequoris unda
Debet et a radiis sideris esse niger;

---

[1]) pag. 64.

Turpis et agricolae.

Ars am. II 709. Fecit in Andromache prius hoc fortissimus Hector,
Nec solum bellis utilis ille fuit.
Fecit et in capta Lyrneside magnus Achilles.

Met. II 28. Stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat
Stabat et Autumnus.

Met. III 505. Planxere sorores
Naides et sectos fratri posuere capillos.
Planxere et Dryades.

Met. XI 551. Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor,
Frangitur et regimen.

Trist. II 366. Tuta tamen Sappho, tutus et ille fuit.
Ib. 261. Qualis erat, postquam est iudex de lite iocosa
Sumptus, Apollinea clarus in arte senex.
Qualis et ipse fuit, quo . . . .

Ex Pont. IV 14, 11. Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Histro
Siquid et inferius quam Styga, mundus habet.

Haec anaphora multo saepius adhibita ab Ovidio quam a Vergilio est.

V Vox ,et' et primo et secundo membro anteposita.

Ut copula abundans elegantissime appareat, non raro poeta eam ipsam lege anaphorae repetit, qua re singulis anaphorae membris quasi increscit. Quod fit aut eodem ordine aut ordine inverso. Eodem ordine est anteposita

a) apud Vergilium:

Buc. V 74. Haec tibi semper erunt et cum sollemnia vota
Reddemus nymphis, et cum lustrabimus agros.

Georg. I 53. Et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.

Georg. I 440. Et quae mane refert et quae surgentibus astris.

Aen. I 121. Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,

Aen. VII 225. Audiit et si quem tellus extrema refuso
Summovet Oceano et si quem extenta plagarum . . ,

b) apud Ovidium:

Am. II 10, 8. Et magis haec nobis et magis illa placet.
Rem. 329. Et poterit dici petulans, quae rustica non est,
Et poterit dici rustica, si qua proba est.

Met. I 325. Et superesse videt de tot modo milibus unum
Et superesse videt de tot modo milibus unam.

Eiusmodi loci apud utrumque perpauci inveniuntur.

VI Vocula ‚et' et primo et secundo membro postposita.

a) apud Vergilium:

Aen. I 200. Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos et Cyclopeia saxa
Experti.

Aen. IX 556. At pedibus longe melior Lycus inter et hostis
Inter et arma fuga muros tenet.

Aen. XI 403. Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremescunt
Nunc et Tydides et Larissaeus Achilles.

Georg II 451. Nec non et torrentem undam levis iunatat alnus
Missa Pado; nec non et apes examina condunt.

b) apud Ovidium:

Ep. XX 98. Miror et in cunctis stantia signa locis
Miror et innumeris structam de cornibus aram.

Ep. XIX 225. Sunt et opes nobis, sunt et sine crimine mores.

Met. IV 149. Est et mihi fortis in unum Hoc manus, est et amor.

Met. XI 266. Felix et nato, felix et coniuge Peleus.

Met. XIII 193. Mittor et ad matrem, quae non hortanda, sed astu
Decipienda fuit. Quo si Telamonius isset,
Orba suis essent etiam nunc lintea ventis.
Mittor et Iliacas audax orator ad arces.

Met. XIV 832. O et de Latia, o et de gente Sabina,

Hisce in locis secunda vox habet vim particulae ‚etiam'.

VII Vox ‚et' primo membro postposita secundo anteposita:

a) apud Vergilium:

Buc. IV 24. Occidet et serpens et fallax herba veneni
Occidet.

Aen. XII 698. Deserit et muros et summas deserit arces.

b) apud Ovidium:

Am. I. 15, 29. Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois.

Ars am. II 35. Possidet et terras et possidet aequora Minos.

VIII Vox ‚et' primo membro anteposita, secundo postposita:

Met. III 421. Et dignos Baccho. dignos et Apolline crines,

Ex Pont. IV 8, 54. Et quidquid post haec, quidquid et ante fuit.

Ex. Pont. IV 15, 37. Semper inoblita repetam tua munera mente
Et mea me tellus audiet esse tuum.
Audiet et caelo posita est quaecunque sub illo.

B) Vox ‚que'.

I Vox ‚que' primo anaphorae membro adhaerens.

Anaphorae eiusmodi non in anaphoris copula abundantibus numerandae sunt. Conectunt enim antecedentia cum sequentibus. Primo autem anaphorae membro semper deest illa vis copulativa.[1])

II Vox ‚que' secundo anaphorae membro adhaerens.

Qua in re idem praemonere velim quod pag. 70 sub III. Sed illis adiciam: in tali anaphora maiorem esse licentiam quam in anaphora voce ‚et' abundante. Nam hic etiam inveniuntur interdum loci, ubi vox repetita est nomen aut verbum. Vox repetita est:

α) nomen:

Met. XV 861. Di, precor, Aeneae comites, quibus ensis et ignis
Cesserunt, dique Indigetes,
Her. IV 112. Pirithoum Phaedrae Pirithoumque tibi.

β) verbum:

Aen. III 470. addit equos additque duces.
Met. III 247. Vellet abesse quidem, sed adest; velletque videre.

γ) adiectivum:

Aen. XI 97 salve aeternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale.
Met. XIV 256 sed nulla timenda Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Trist. V 3, 12. Multa prius pelago multaque passus humo.

δ) numerale:

Rem. 425. Sed quoniam totidem mores totidemque figurae.
Her. XII 125. Quaeque vomit totidem fluctus totidemque resorbet.
Trist. IV 1, 55. Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas
Quotque fretum pisces ovaque piscis habet.

ε) pronomen:

Aen. XII 240. Ipsi Laurentes mutati ipsique Latini.
Aen. II 387. O socii qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter quaque ostendit se dextra, sequamur,
Aen. VIII 149. Et mare quod supra teneant quodque adluit infra.

---

[1]) cf. p. 70.

Her. XVII 91. Quo magis accedo propioraque litora fiunt
Quoque minus restat, plus libet ire mihi.

Her. XX 73. Ille secundus erat, qui me referebat euntem
Quique parum felix impediebat iter.

Met. II 475. Qua tibi quaque places nostro, importuna, marito

Fast. VI 239. Festa dies illis, qui lina madentia ducunt
Quique tegunt parvis aera recurva cibis.

Trist. III 14, 27. Compositum quo sit tempore quoque loco.

ζ) adverbium:

Her. XX 15. Quam tibi nunc gracilem vix haec rescribere quamque
Pallida vix cubito membra levare putas?

η) coniunctio:

Georg. I 360. Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis
Cum medio celeres revolant ex aequore mergi
Clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae
In sicco ludunt fulicae;

Georg. III 237. Fluctus ut in medio coepit, cum albescere ponto
Longius ex altoque sinum trahit, utque volutus
Ad terras immane sonat . . .

Aen. I 298 ut terrae utque novae pateant Karthaginis arces

Aen. II 665. Eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque
Ascanium . . . cernam?

Her. XVI 13. Rustica sim sane, dum non oblita pudoris.
Dumque tenor vitae sit sine labe meae.

Ib. 603. Ut nova Phasiaca compressa est nupta corona
Utque pater nuptae

ϑ) praepositio:

Georg. II 307. Per ramos victor perque alta cacumina regnat.

Georg. III 269. Illas ducit amor trans Gargara transque sonantem
Ascanium.

Aen. II 51. In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit.

Aen. V 858. Et super incumbens cum puppis parte revolsa
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas.

Aen. VI 268. Ibant obscuri sola sub nocte per umbram
Perque domos Ditis.

Aen. XII 293. In caput inque umeros.

Ep. Sapph. 107. Per tibi, qui nunquam longe discedit, Amorem
Perque novem iuro, numina nostra deas.

Met. II 214. Magnae pereunt cum moenibus urbes.
Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt.

Met. III 638 Per mare fallaces perque omnia numina iurant.

Met. IV 779. passimque per agros
Perque vias

Met. XIII 865 divulsaque membra per agros
Perque tuas spargam . . . undas.

Fast. II 221. Per sata perque vias fertur,

Fast. II 841. Per tibi ego hunc iuro fortem castumque cruorem
Perque tuos manes,

Ex Pont. III 1, 5. An mihi barbaria vivendum semper in ista,
Inque Tomitana condar oportet humo?

Haec anaphora minime ad augendam venustatem spectare videtur, sed metro plerumque postulatur.

III Vox ‚que' et primo et secundo anaphorae membro adhaerens.

Qua in anaphora nomina desunt apud utrumque poetam, verba apud Vergilium. Vox enim repetita est

α) nomen:

β) verbum:

Met. XIII 862. Ille tamen placeatque sibi placeatque licebit
Quod nollem, Galatea, tibi.

Fast. I 91. Ede simul causam, cur de caelestibus unus
Sitque quod a tergo, sitque quod ante vides,

Fast. V 142. Pervigilantque Lares pervigilantque canes.

Trist. V 4, 2. Lassaque facta mari, lassaque facta via.

γ) adiectivum:

Aen. I 222. Fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

Aen. I 612. Post alios fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

Her. IX 97. Quique inter laevumque latus laevumque lacertum,

Trist. IV 7. 16. Tergeminumque virum tergeminumque canem,

δ) numerale:

Ars am. I 552. Terque fugam petiit terque retenta metu est.

Fast II 644. Binaque serta tibi binaque liba ferunt.

ε) pronomen:

Aen. IV 526. Quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis
Rura tenent.
Met. IX 376. Nostraque sub arbore saepe
Lac facitote bibat, nostraque sub arbore ludat.
Met XIII 483. Teque gemunt, virgo, teque o modo regia coniunx.

ζ) adverbium:

Aen. XII 479. Iamque hic germanum, iamque hic ostentat ovantem.

η) coniunctio:

Met. VIII 835. Utque fretum recipit de tota flumina terra
Nec satiatur aquis peregrinosque ebibit amnes:
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat.
Met. XI 580. Utque foret sospes coniunx suus, utque rediret
Optabat.
Met. XI 712. Dumque ‚Moratus ibi' dumque ‚hic retinacula solvit,'
‚Hoc mihi discedens dedit oscula litore', dicit,
Trist. V 9, 27. Utque canem pavidae nactum vestigia cervae
Luctantem frustra copula dura tenet,
Utque fores nondum reserati carceris acer
Nunc pede, nunc ipsa fronte lacessit equus: Sic . . .
Ex Pont. I 2, 87. Quodque sitim didicere diu tolerare famemque
Quodque sequens nullas hostis habebit aquas.
Ex Pont. I 7, 45. Quaque ego permisi, quaque est res passa, pepercit.

ϑ) praepositio:

Aen. I 537. Perque undas superante salo perque invia saxa.
Aen. II 364. Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora perque domos.
Aen. IV 671. Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Aen. VII 499. Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Aen. XI 696. Tum validam perque arma viro perque ossa securim
Congeminat.
Buc. X 23. Perque nives alium perque horrida castra secuta est.

Am. III 3, 13. Perque suos illam nuper iurasse recordor
Perque meos oculos,
Met. I 286. Cumque satis arbusta simul pecudesque virosque
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Met. V 514. ‚Proque meo veni supplex tibi, Iuppiter,' inquit,
‚Sanguine proque tuo'.
Met. XI 517. Inque fretum credas totum descendere caelum,
Inque plagas caeli tumefactum ascendere pontum.

Met. XII. 325. Mors caruit sensu plenoque e gutture [illegible]t
Inque toros inque ipsa niger carchesia sanguis.
Trist. IV 8, 11. Inque sinu dominae carisque sodalibus inque
Securus patria consenuisse mea;

Quae anaphora partim coniungit voce ,que' prioris membri antecedentia cum sequentibus, partim vim habet vocum ,et — et'.

C) Vox ,atque'.

Anaphoras bipertas voce ,atque' abundantes apud Vergilium et Ovidium non inveni nisi:

Aen. VIII 658. Aurea caesaries ollis atque aurea vestis.

De copula abundante in anaphora multipartita.

Iam ad anaphoram tripertitam, quae copula abundat, transeamus. De qua Birtius iam (in Halieuticis pag 65) disputavit. Enumerat autem nonnullos locos, ubi tertio tantum membro copula est adiecta. Velut:

Ter sine, perpetuo caelum versetur in axe,
Ter iungat Titan terque resolvat equos; (Fast. IV 179)
Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus in Aonia constitit exul humo.
Passus idem Tydeus et idem Pegasaeus Iason. (Fast. I 849)
Iamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur. (Fast. I 81)

Eiusmodi loci etiam plures exstant. Tertio membro adhaeret:

a) Vox ,et'

Georg. II 408. Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta et vallos primus sub tecta referto.
Georg. IV 367. Spectabat diversa locis Phasimque Lycumque
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus.
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Aen. I 697. Cum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda mediamque locavit,
Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
Conveniunt.

Aen. XI 368. Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis et si adeo dotalis regia cordi est, Aude,
Trist. IV 6, 45. Urbis abest facies, absunt, mea cura, sodales,
Et qua nulla mihi carior, uxor abest.
Rem. 141. Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo, Tam Venus . . .

Interdum vox ‚et' tertio membro est postposita, velut

Ep. XX 235. Hoc deus, hoc vates, hoc et mea carmina dicunt.
Met. II 27. Verque novum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat
Stabat et Autumnus calcatis sordidus uvis,

b) Vox ‚que' (neque).

Georg. II 293. Ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
Convellunt,
Aen. I 486. Ut spolia, ut currus utque ipsum corpus amici.
Aen. XII 427. Non haec humanis, opibus, non arte magistra
Proveniunt neque te, Aenea, mea dextera servat;
Aen. XII 911 non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires nec vox aut verba sequuntur.
Am. I 14, 39. Non te cantatae laeserunt paelicis herbae,
Non anus Haemonia perfida lavit aqua;
Nec tibi vis morbi nocuit,
Ep. I 7. Non ego deserto iacuissem frigida lecto
Non quererer tardos ire relicta dies,
Nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
Lassasset viduas pendula tela manus.
Met. VII 545. Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerva nec armentis incurrere fortibus ursi.
Trist. IV 8, 1. Iam mea cycneas imitantur tempora plumas
Iam subeunt anni fragiles et inertior aetas
Iamque parum firmo me mihi ferre grave est.

Huc etiam pertinere videntur:

Trist. II 201. Unde precor supplex, ut nos in tuta reIeges.
Ne sit cum patria pax quoque dempta mihi,
Ne timeam gentes, quas non bene submovet Ister
Neve tuus possim civis ab hoste capi.
Trist. II 403. Quid generum Peliae? Quid Thesea? Quidve Pelasgum.

Locos deinde si colligemus, ubi secundo membro eaedem voculae sunt adsertae, eundem numerum non explebimus. Sunt enim:

a) Vocula ‚et' praediti:

Georg. I 341. Tunc agni pingues et tunc mollissima vina,
Tunc somni dulces,
Ex Pont. III 3, 67. Per, mea tela, faces et per mea tela, sagittas,
Per matrem iuro.

b) vocula ‚que' abundantes:

Met. VII 94. Per sacra triformis
Ille deae lucoque foret quod numen in illo,
Perque patrem soceri cernentem cuncta futuri
Eventusque suos, per tanta pericula iurat.
Met. XIII 375. Per spes nunc socias casuraque moenia Troum
Perque deos oro, quos hosti nuper ademi,
Per si quid superest.
Ex Pont. I 4, 1. Iam mihi deterior canis adspergitur aetas,
Iamque meos vultus ruga senilis arat,
Iam vigor et lasso languent in corpore vires.
Ib. 603. Ut nova Phasiaca compressa est nupta corona
Utque pater nuptae cumque parente domus.
Ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus
Corpora pestiferum sic tua virus edat.

Huc etiam pertinere videntur:

Ex Pont. II 2, 99. Hoc pater ille tuus primo mihi cultus ab aevo,
Si quid habet sensus umbra diserta, petit.
Hoc petit et frater, quamvis fortasse vetetur,
Servandi noceat ne tibi cura mei.
Tota domus petit hoc.

Sed haec hactenus. Reliquum est, ut in anaphora multipartita copulam abundantem consideremus. Perrari eiusmodi sunt loci. Plerumque enim in tali anaphora copula abundans aut deest, aut pro aliquo anaphorae membro sola copula posita esse videtur. Iam videamus locos, ubi in anaphora multipartita copula abundans deprehenditur.

a) in extremo membro:

Georg. II 416. Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt,
Iam canit extremos effetus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus
Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.

b) in mediis membris:

Buc. V 76. Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit

Dumque thymo pascentur, apes, dum rore cicadae,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Trist. V 4, 23. Te tamen, o si quid credis mihi carior, ille
Omnibus, in toto pectore semper habet.
Teque Menoetiaden, te qui comitavit Oresten,
Te vocat Aegiden Euryalumque suum.

c) in pluribus membris:

Buc. VIII 32. O digno coniuncta viro, dum despicis omnes
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae.
Ars am. I 91. Illic invenies quod ames, quod ludere possis,
Quodque semel tangas, quodque tenere velis.
Met. XIII 765. Iamque tibi formae, iamque est tibi cura placendi
Iam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos.
Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam.

Postremo nonnulla exempla anaphorae multipartitae afferantur, in quibus aliquod anaphorae membrum modo copulae cessisse videtur, modo cum ea concrescit. Velut:

Aen. VIII 699. Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent.

Am. II 18, 23. Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iaso
Hippolytique parens Hippolytusque legant.

Her. II 35. Per mare, quod totum ventis agitatur et undis
(Per quod saepe ieras, per quod iturus eras)
Perque tuum mihi iurasti, nisi fictus et ille est,
Concita qui ventis aequora mulcet, avum,
Per Venerem nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces,
Iunonemque, toris quae praesidet alma maritis
Et per taediferae mystica sacra deae.

Ars am. III 633. Quid faciat custos cum sint tot in urbe theatra,
Cum spectet iunctos illa libenter equos,
Cum sedeat Phariae sistris operata invencae,
Quoque sui comites ire vetantur, eat,
Cum fuget a templis oculos Bona Diva virorum,
Praeterquam si quos illa venire iubet,
Cum, custode foris tunicas servante puellae,
Celent furtivos balnea multa iocos,
Cum, quotiens opus est, fallax aegrotet amica
Et cedat lecto quamlibet aegra suo,
Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis,
Quasque petas, non det ianua sola vias?

Quodsi quaerimus poetarum utrum Vergilius anaphoras subtilius adhibuerit an Ovidius, difficile sit iudicium. Nam anaphorae copula abundantes apud utrumque reperiuntur et nulla paene est varietas, quae non utrique sit communis; nisi quod aliquantisper differe Vergilii usum ab Ovidiano adnotavimus supra p. 72 et 73 et 77.

Summarium.

Constat usque ad hos annos nihil fere magni momenti de anaphora esse elaboratum, quod plerique, qui de anaphora egerunt, speciem tantum non autem eius naturam respexerant. Vera enim anaphorae natura non in illa ab omnibus fere comprobata exornandi et amplificandi orationem virtute est quaerenda, quae vis omnibus tropis et figuris est communis, sed, ut recte Birtius vidit, in eo, quod in locum coniunctionum succedit et scriptori harum particularum gratiam facit. Haec est propria vis anaphorae, qua ab aliis figuris differt. Si tamen interdum anaphora alia etiam virtute exornatur, haec non naturae eius est tribuenda, sed aliam quandam condicionem ad eam accedere dicendum est. In anaphora autem vim esse copulativam certe nemo negabit, qui omnes hac figura exornatos versus Vergilii et Ovidii legerit atque ponderaverit. Qua propter sola anaphora ponderata diiudicari non potest, uter poetarum de quibus egi sit praeclarior. Hoc autem nemini displiceat: Si quis poëta, quamvis non remisse carmina condat et versus suos in omnem partem quadret, nihilominus etiam anaphorae non est neglegens, ille in arte Minervae palmam ferat. Hoc in certamine, tametsi difficile sit ad iudicandum, magis faveo Ovidio.

Scriptor de vita sua.

Natus sum Ludovicus Otto, natione Bavaricus Kal. Maias anni MDCCCLXXIX in oppido Dette... Moenum sito parentibus Iosepho, quem matura morte mihi ereptum esse vehementer lugeo, et Barbara de gente Mann, quam superstitem esse maxime gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. A mense Maio anni MDCCCLXXXV usque ad mensem Aprilem a. MDCCCXCII ludum publicum patriae frequentavi, deinde gymnasii St. Ottiliensis fui alumnus a mense Aprili eiusdem anni usque ad mensem Iulium a. MDCCCIC, postea gymnasii Dillingensis ad Danubium discipulus, ubi mense Iulio a. MCM testimonio maturitatis exstructus sum. Hieme eiusdem anni in numerum civium academicorum adscriptus Wirceburgi operam dedi studiis philologis per octo semestria. Anni MCMIV mense Octobri ad academiam Marpurgensem emigravi, ubi reliquum tempus in bonas artes incumbebam. Anno MCMIII Monachii primum tentamen philologorum Bavaricorum, anno MCMV secundum subii, quibus facultatem docendi in gymnasiis publicis Bavariae mihi comparavi. Docuerunt me viri illustrissimi: Boll, Brenner, Chroust, Grasberger, Henner, Röttecken, Schanz, Stangl, Stölzle, Wilcken, Wolters, Wirceburgenses; Birt, Cohen, Kalbfleisch, Maass, Niese, de Ropp, de Sybel Marpurgenses. Quibus omnibus optime de me meritis maximas ago gratias inprimis Birtio, qui ad hoc opus conficiendum me invitaverit et opera consilioque maxime adiuverit. Examen rigorosum subii Kal. Maiis anni MCMVII. Quo ex tempore Wirceburgi studiorum causa commoratus sum.